GODEFRIDI VITERBIENSIS

CARMEN

DE GESTIS FRIDERICI PRIMI IMPERATORIS

IN ITALIA.

AD FIDEM CODICIS BIBLIOTHECÆ REGIÆ MONACENSIS

EDIDIT

DR. IULIUS FICKER

HIST. PROF. P. O. IN C. R. UNIV. LITT. OENIPONT.

OENIPONTI.

TYPIS ET SUMPTIBUS WAGNERIANIS.

MDCCCLIII.

Carmen Godefridi Viterbiensis de gestis Friderici primi imperatoris in Italia nunquam hucusque typis exscriptum est, nec etiam, ut videtur, in codice ullo, nisi in unico bibliothecae regiae Monacensis reservatur. Quare non aegre mihi sumpsi negotium idque in lucem proferre carmen non dubitavi sperans, operam hanc viris rerum in Germania et Italia antiquitus gestarum peritis non ingratam esse futuram. Minime autem id meritum mihi sumo, tanquam si hoc carmen nunc primum editum etiam detexerim animumque virorum literatorum in id converterim, quod potius debetur Doceno, viro de fontibus nostrae historiae accuratius cognoscendis meritissimo, qui monumentum nostrum absconditum in alio Godefridi opere magis diffuso iam ante triginta annos detexit iisque, quae in archivo societatis aperiendis fontibus rerum Germanicarum hoc de carmine disputavit, desiderium accuratius illud cognoscendi mihi commovit.

Qui scripsit carmen nostrum Godefridus é Germania, sed non, ut Muratorius (scrr. rr. Ital. 7,349.) aliique ratione nominis Viterbiensis suspicantur, ex Italia oriundus esse videtur. Quod haud dubie indicat locus libri sui, qui inscriptus est Pantheon (Pistor. scrr. rr. Germ. ed. Struve. 2,330. Muratori l. c. 7,438. 439.), in quo dicit: „Caetera — de civi-

tate et ecclesia Babenbergensi ego, qui ibi prima documenta grammaticae artis didici, tanquam eorum alumnus versibus explicavi," et paulo post:

,,Laude vacans ista recolo mihi tempora prisca,
,,Prisca fuit puero mihi Babenberga magistra,
,,Mens mea quae didicit reddit amica sibi."

Certius autem probatur carmine nostro, quod in v. 999 Teutonicos ,,gentem meam" appellat auctor et nonnullis aliis in locis, uti in v. 817 sq., quam plurimis laudibus nationem Teutonicam iactat. Num Babenbergae, qua in civitate puer literis incubuit, etiam natus sit, non constat; ex laudibus, quibus effert in cap. 42 carminis gentem Saxonicam et in fine operis Wicmannum archiepiscopum Magdeburgensem, forsan suspicari licebit, oriundum esse eum ex quodam Germaniae septentrionalis loco.

De vita Godefridi nonnisi ex ipsius scriptis perpauca edocemur. Commoratum esse eum circa a. 1156 in Germaniae partibus, documento est locus codicis Monacensis, in quo citat Godefridus historiam quandam ,,ante annos triginta in Alemannia a me perlectam." (Archiv der Gesellsch. für ält. deutsche Geschichtsk. 7,577.) Capellanus erat et notarius regis Conradi tertii, Friderici imperatoris et filii eius Henrici sexti, id quod ipse auctor in Pantheone (ed Pist. 344. Murat. 454.) satis demonstrat. Muratorius (l. c. 349.) monet, nonnulla Friderici primi imperatoris diplomata subscripta esse a Godefrido quodam, imperialis aulae cancellario; nihil autem rei habet historicus noster, qui notarii tantum munere fungebatur, cum illo Godefrido, qui, oriundus ex gente comitum de Spitzenberg, cancellarius erat imperatoris inde ab anno 1172, anno 1186 episcopatum Herbipolensem obtinuit (Godefr. Colon. ad a. 1186) et anno 1190 in terra sancta diem obiit supremum. (Cf. Stälin, Wirtemberg. Gesch. 2,390.) Nostrum Gode-

fridum magistri gradu esse functum docet initium libri sui, qui appellatur Memoria saeculorum, ut invenitur in codice Montepessulano (Archiv. 7,562.) Expeditionibus Friderici imperatoris in Italiam factis plerumque affuit, quam rem plures nostri carminis loci testantur, in quibus utitur prima persona in narrando. Sic memorans secundam Mediolani obsidionem (v. 434.), pestem Romae a. 1167 ortam (v. 700.), destructionem denique Segusiae (v. 864.), quo in loco profitetur, se tutorem fuisse domus comitis, quae sola destructa civitate incombusta remansit. Eum captum fuisse a Conrado marchione Montisferrati, nota quaedam declarat in codice Pantheonis Herbipolensi (Archiv. 7,586.), in quo legitur: „Nota Gotefridum fuisse captum a Conrado marchione Montisferrati, quique postea episcopum Christianum (Moguntinum) cepit." Quam ad rem etiam referendi esse videntur versus Pantheonis (ed. Pist. 356. Mur. 468.):

„Si mea vincla prius subito punita fuissent,
„Nulla Moguntini tibi captio damna tulisset."

Quam concepit exinde contra Montisferrati marchiones iracundiam, in nostro carmine (v. 883 sq.) aperte dicta ostendunt. Coniunctus fuisse videtur Godefridus vinculo quodam strictiori cum rege Henrico sexto, cuius rei auctoritatem praebet, quod ad eum specialiter, imperatore Friderico adhuc superstite, scripsit literas dedicatorias operum suorum; ex modo, quo alloquitur Henricum in fine partis XVII. Pantheonis forsan conicere licet, eum fuisse educatorem regis. Imperiali liberalitati sine dubio debebat beneficia, quae obtinuit in ecclesiis Italicis. Erat enim canonicus Veronensis, ut docet diploma quoddam datum d. 30. Jan. 1178 (Ughelli, Italia sacra. 3,410.); nec non videtur Godefridus Viterbii quoque praebendam quandam ecclesiasticam obtinuisse ibique vixisse tempore, quo scripta sua publicaret; nam in scriptis

suis sese nominat Viterbiensem et in codice Pantheonis Norimbergensi (Archiv. 7,587.) leguntur verba: „Incipit liber hic Panteon Gotfridi Viterbiensis cappellani imperatoris Friderici primi anno domini millesimo. c. decimo (1190?) in ecclesia Palatiana in Viterbio perfectum atque completum.“ Iam antequam scripsit carmen nostrum aliquod coniunctionis vinculum fuisse inter eum et Viterbium, monet cap. 4 carminis, in qno agit haud sine propensa in Viterbium voluntate. Quando diem obierit supremum, non constat; attamen mea opinione non multo post a. 1190, in quo scripsit: „Finem vero et eventum illorum bellorum (Friderici contra Saladinum) adhuc, si supervixero, scribam aliquando“ (Archiv. 7,584.); non enim, ut videtur, stetit promissis. Plura de vita et conditione, de peregrinationibus suis et studiis offert Godefridus in literis dedicatoriis, quas praemisit Memoriae suae saeculorum quaeque inveniuntur in codice eius Montepessulano (Archiv. 7,565.); nec tamen hae literae, ut omnis Memoria illa, publici iuris factae sunt.

Ex scriptis Godefridi solummodo liber, quem inscripsit Pantheon, typis expressus est; primum cura Heroldi Basileae 1569, deinde inter scriptores rerum Germanicarum Pistorii, Italicarum Muratorii; magna varietas multorum, qui supersunt, codicum manuscriptorum optabilem reddit novam editionem. Restant adhuc inedita Godefridi opera, praeter carmen nostrum, Memoria saeculorum et Speculum regum, de quibus ad fidem codicum manuscriptorum erudite disputatur iu archivo societatis (7, 559. 596.).

Carmen de gestis Friderici scripsit Godefridus antequam finivit maiora sua opera. Scriptum vero est hocce carmen anno 1181, id quod apparet ex v. 325:

„Annis bis binis sub pacis tempore vivit,“

Alexander scilicet papa quadriennio post pacem Venetiae a. 1177 initam. Memoriam non ante a. 1185 (Archiv. 7, 565), primam Pantheonis recensionem non ante a. 1186 complevit. Verba carminis (v. 1095):

„Hoc quicumque negat chronica nostra legat,"

nec non initium eius:

„Regibus antiquis descripsimus omnia late,"

demonstrant, Godefridum iam ante a. 1181 aut magnam partem Pantheonis scripsisse, aut aliud quoddam publicasse chronicon nobis ignotum.

Ipse Godefridus in Pantheone (ed. Pist. 351. Mur. 463.) ad carmen nostrum relegat dicens: „Cuius (Friderici imperatoris) in hoc loco brevem tractatum ad observandum catalogum imperatorum facimus, ne ordo nominum ipsorum interrumpatur, si forte nomen eius in hoc catalogo non assignatur. Alibi autem de actibus eius omnia fere principalia, quae gessit in Italia, versifice dictata posuimus, ubi de Mediolani destructione et de aliis satis compendiose narramus." Qui deinde sequuntur in editione versus de Friderico, sumti sunt ex carmine, quindecim exceptis, in quibus agitur de civitate Asta, vel omissi per errorem ab eo, qui carmen descripsit, vel tunc demum adiecti. Repetit enim hoc in loco auctor prooemium et brevem conspectum, quem offert in primo capite carminis, quibus adiecit ex accuratiori rerum narratione capita 2. 3. 4., ita autem, ut haec capita conspectui singula suo loco sint interiecta. Ordo igitur versuum carminis hunc in modum in Pantheone est mutatus: V. 1—33, quindecim v. de civitate Asta, v. 34—36, 112—129, 37—39, 130—180, 40—111. Unicum tantum versum 40. penitus in aliam redegit formam:

„Decipitur Roma, dum sic capit ille coronam;"

caeteri versus ad verbum quasi repetuntur.

Carmen integrum coniunctum fuisse cum Memoria saeculorum aut industria ipsius auctoris aut librariorum, saltem eius, qui descripsit codicem Memoriae Montepessulanum, liquet sine dubio ex iis, quae de hoc codice exstant in archivo societatis (7, 566). Index enim capitum depromit verba: „Particula XIV de omnibus fere gestis principalibus domini imperatoris Friderici, cui capitula in corpore libri per seriem ipsius ystorie sunt posita et ordinata suis locis.“ In ipso deinde contextu Conradi tertii regis gestis iam ad finem perductis legitur: „Particula XIII est de gestis domini Frederici, quae tamen posita sunt in capite libri quia multa sunt. Nunc vero sequitur ystoria Saxonum.“ Sequuntur autem nonnulli versus de Friderico, in quibus similiter ad carmen magis diffusum relegatur. Sed, quod valde dolendum, carmen nostrum nec invenitur nunc in codice, nec vestigium apparet, id unquam partem eius effecisse.

In archivo societatis (2, 385.) inter codices manuscriptos musei Brittanici enumeratur: „Godefrid. Vit. de expugnatione Meil.,“ qui titulus, quod iam antea monuit Docenus, ad carmen nostrum referendus videtur. In ampliori tamen indice eiusdem musei, quem communicat Pertzius, vir illustrissimus, in t. VII archivi, non alius, nisi Pantheonis (l. c. 77.) operum Godefridi nominatur codex, nec in iis, quae disputantur hoc de codice l. c. 7, 582. ulla mentio fit carminis.

Quod igitur pro certo scimus, solummodo in codice bibliothecae regiae Monacensis (Codd. latini n. 43.), ad cuius fidem edidi, carmen conservatum est. Ipse vero codex continet Pantheonem Godefridi et quidem secundam eius recensionem, quam incepit anno 1187 et finivit a. 1190 (cf. Archiv. 7, 570.); carmen tamen nostrum hoc in codice partem quasi Pantheonis efficit. De ipso codice iam satis disputarunt Docenus (Archiv. 4, 352) et Foeringerus, vir doctus idemque

humanissimus (l. c. 7, 571.), quare ea tantummodo exhibenda existimo, quae carmen ipsum spectant.

Est codex membraneus maximae formae, scriptus saeculo decimo tertio et quidem non ante a. 1227, quum obitus Honorii III papae, qui incidit in hunc annum, memoretur in f. 15. Annorum numerus in catalogo paparum et imperatorum perductus quidem est usque ad a. 1242, nec tamen quibusdam annotatis inde ab a. 1227 usque ad a. 1242, ex quo suspicari licebit, etiam non multo post a. 1227 exaratum esse codicem. Iam Docenus monuit, et characterum et vocabulorum formam Italicam codicis originem indicare, et mihi opinio sese offert, in ipso Viterbio scriptum esse codicem. Quae enim dicuntur in f. 15 de Honorio papa certe non auctoris sunt, qui, iam Conradi regis capellanus, sine dubio a. 1227 non amplius supererat, sed eius, qui descripsit codicem aut describendum curavit. Sunt autem annotata quaedam de adventu papae Viterbii et donationibus, quas suppeditavit ecclesiae Viterbiensi, quae res in alio quodam loco, nisi in ipso Viterbio, vix fuissent adiectae.

Folia 1 — 101 codicis continent Pantheonem usque ad finem partis XVII editionum, nonnullis vero commutatis, ut iam uberius declararunt Docenus et Foeringerus. Quo tamen loco (f. 101.) agitur de Friderico imperatore iam relegatur ad carmen in posterum sequens; legitur enim inscriptio: „De primo Frederico imperatore recordacio secundum numerum in ordinem aliorum imperatorum; gesta vero eius sunt in fine plenarie.“ Tunc sequitur textus oratione soluta scriptus, ut in editionibus invenitur, cum loco supra exscripto, in quo pariter fit mentio carminis; in fine tandem legitur: „Cetera versus habent.“ Non autem sequuntur versus, qui reperiuntur in editionibus et sumpti sunt ex carmine, ut supra monui, sed ea statim, quae sunt in editionibus de Henrico sexto usque

ad nuptias eius a. 1186 celebratas. Tum demum in fol. 101'—107 sequitur carmen inscriptione adiecta: „Particula XX. De gestis domini Federici etc.“ De iis, quae sequuntur in codice, conferenda sunt annotata virorum supra laudatorum.

Divisionem capitum, quae invenitur in codice inscriptionibus indicata, retinui numerosque adieci, etsi minus apta et accurata videatur illa divisio et potius ad librarium, quam ad auctorem referenda, id quod etiam monet usus formae Italicae „Guicmannus“ in inscriptione capitis 45., dum in contextu forma Teutonica „Wicmannus“ utitur auctor; similiter in inscriptionibus semper „guerra“, in contextu interdum „werra“ legitur. Saepe inscriptio non optime consentit cum sententia capitis, nonnullisque in locis charactere maioris formae et colore distincto divisio quaedam indicata est, sed desideratur inscriptio; quod conspicuum feci in editione similiter typis maioris formae.

Prooemio sex versuum praemisso auctor in cap. 1. de omnibus Friderici in Italia gestis ab eo tempore, quo ad imperatoris dignitatem pervenit, usque ad pacem cum ecclesia revocatam et concilium Lateranense anni 1179 brevem conspectum offert, cuius versus interdum quasi ad verbum sunt repetiti in capitibus posterioribus (cf. e. g. v. 58 sq. cum v. 232 sq.). Deinde in capp. 2—39 singula eius gesta in Italia prolixius enarrat, quibusdam de Burgundia adiectis, nec tamen mentionem facit rerum in Teutonia gestarum. Denique in capp. 40—45 agit de depositione Henrici Leonis Saxoniae ducis, quae incidit in annum 1180, qui proxime praecedit annum, quo scriptum est carmen. Res tantum scribere in Italia gestas sibi proposuisse auctorem, ex eo suspicari possumus, quod ultimorum capitum sententiam in brevi illo conspectu non adiecerit.

Idem versuum genus exhibet carmen nostrum ac alia ab Godefrido poetice scripta; duobus enim hexametris unoque

pentametro coniunctis tristichon efficitur; nec tamen, ut feci in editione ad exemplum editionum Pantheonis, in ipso codice modo scribendi singula tristicha snnt indicata. Ad arbitrium suum nec adhibita magna cura vocabulis inter se consonantibus vel tantum assonantibus usus est auctor, ita quidem, ut nunc versuum duornm vel trium exitus, nnnc et media versuum vocabula cnm exitu consonent. In metrica ratione, saltem quod attinet usum scriptorum classicorum, saepe deliquit Godefridus. Mira adhibita diligentia auctor evitat literas vocales concnrrentes in fine et in initio duorum vocabulorum sese seqnentium, quare in toto carmine nulla cogitur syllaba. Loquendi modus minime est elegans atque iucundus; sententiae et pronuntiationes in eundem modum conformatae ubique repetuntur; nonnullis tantum in locis narratio vividior fit, e. g. in iis, quae dicit de peste Romae orta et de conventu Venetiae habito. Quod Docenus l. c. 353 carmen Godefridi cum Gnntheri Ligurino comparavit, in qua comparatione facile hic deportat triumphum, iam nullius videtnr esse momenti, qnum nunc a plurimis Ligurinus ille snbditus habeatur. Sed Godefridi carmina etiam a suae aetatis poetarum carminibus longe snperari, iam satis declaratur ratione habita eorum, quae sic dictus archipoeta (J. Grimm, Gedichte auf König Friedrich I. den Staufer.) eodem fere tempore cecinit; nequidquam enim in Godefridi carminibus eandem, qua ntitur ille, elegantiam sermonis, nec in dicendo animi vigorem, nec miram agilitatem, qua iste consonantes versuam exitus conformat, invenire possumns. Quaterni autem Godefridi versus, in exitn consonantes et trochaico metro scripti, qui leguntur in f. 16 et 107 codicis Monacensis (Archiv. 4, 357. 358. 7, 575. 577.) procul dubio archipoetae illius modum loquendi in memoriam revocant.

Definitius profecto et accuratius narrasset auctor ipsas res gestas nisi usus fuisset in scribendo forma poetica; hac impeditus plurimis saepe adhibitis verbis perpauca tantum de

ipsis rebus gestis continentur. Plurima, quae refert auctor, iam aliunde nota sunt; attamen nonnulla nobis praestat satis magni momenti nec non de quibusdam rebus ab aliis imperfecte et fide non satis certa traditis certiorem narrationem. Quae magis aestimandae res propterea, quod Godefridus non solum suae aetatis facta memoriae prodidit, sed, ut supra demonstravi, magna ex parte velut testis oculatus rebus interfuit, nec ex alio quodam hausit fonte. Sed si oratione nobis soluta sui temporis facta eaque praesertim, quae posterioribus Friderici annis acciderunt, auctor enarrasset, melius sane de nobis meruisset, quam hoc carmine et prorsus omnibus suis operibus. Quod capellanus et notarius imperatoris, propenso quoque animo Teutonicam nationem complectens, in scriptis suis omnino imperatoris partibus favet, motus Lombardicos iniustissimam existimans rebellionem eiusque indulgentiam in Mediolanenses etiam vituperans, non mirum. Iam post initam pacem inter imperatorem et papam res gestas aperiens impeditus erat, quominus simili ratione et de controversia inter sacerdotium et regnum, quam plerumque paucis tantum percurrit, dissereret. In relatione quidem litis papae Hadriani cum imperatore non eadem fuit habenda ratio pontificis adhuc superstitis; quare minus moderate de Hadriano, quam de Alexandro iudicat, nec tamen et his in rebus omni omissa cautela, id quod demonstrant v. 292 sq. Plerumque leviter tantum res gestas attigit; quibus moverentur tempora sua principiis aut non satis perspexit, aut aulicus versutus silentium de iis tenere cautius existimavit; scripsit enim opera sua Henrico regi dedicata in propria verborum significatione ad usum delphini.

Unicum tantum superesse codicem carminis manuscriptum, est, quod eo magis doleamus, quanto laborans hic defectibus et mendis multa offert impedimenta, ipsius auctoris sententiam recte accurateque restituendi. Inprimis multae occurrunt lacu-

nae, in initio praesertim vel fine nonnullorum versuum sese sequentium, quod ostendere videtur, eum codicem, quem descripsit librarius, non integrum fuisse in margine. Quantum autem potui redintegrare ausus sum lacunas, in quo studio nunc et metrum nunc et verborum concentus multum mihi interdum praebuerunt adiumenti et normae, altera autem ex parte saepe difficiliorem hanc operam reddidere. Nonnunquam tamen tantae mihi occurrebant lacunae, ut in dubio adhuc relinquatur, an, vocabulorum etiam ratione non habita, et ipsam auctoris sententiam tantum restituerim. Omnia, quae redintegrare ausus sum, ad evitandum errorem uncis inclusi. Interdum adeo ob negligentiam librarii totus versus desideratur, ut probat tristichon imperfectum.

Accedit ad illas lacunas, quod permultum et graviter in describendo carmine peccatum est, id quod non paucos omnino versus reddit obscuros et minime perspicuos ad intelligendum; e. g. v. 138 pallio longus pro Paleologus, v. 272 sq. pax pro pars (quare et Docenus l. c. 360 incriptionem capitis 10. male certo interpretatus est) v. 394 committens pro comites, v. 429. 434 ardua pro Addua flumine, v. 607 ac eis pro acies, v. 872 necessariis pro ne Caesaris, v. 981 acumis pro a Cumis, multaque alia, quibus sine dubio probatur, non satis ea, quae descripsit, intellexisse librarium. Saepissime menda in literis initialibus occurrunt, quas, qui descripsit carmen, leviter tantum indicavit, alius autem pinxit. Nec non satis arbitrarie et mendose notis abbreviaturae usus est librarius.

Verum in emendando non id consilium secutus sum, exhibendi sermonem apud nostrates usitatum, sed quantum fieri potuit, emendatis iis, in quibus sine dubio peccavit librarius, modum scribendi auctoris retinere tentavi. Quapropter et vocabulorum et syllabarum formas nobis inusitatas recepi, si

ex repetito quodam vocabulo vel aliis ex causis concludi poterat, non incuriam librarii, sed idioma quoddam adesse auctoris. In corrigendis primis 180 versibus maximo mihi fuit adiumento liber Pantheon, in quo, ut supra monui, ad verbum sunt repetiti. Multa quidem sine opera et studio corrigi potuerunt, de aliis est, quod dubitem, an recte illa emendaverim. Ne vero opprobrium nimiae licentiae mihi adhaereat neque fallatur ratio, etiam minima annotavi, in quibus differt codex ab ea, quam ego exhibui, lectione.

Profecto vehementer expetamus oportet, et alterum codicem carminis detectum fore, qui comparatus cum illo accuratiores rectioresque lectiones reddere possit; sed puto, et hanc editionem, quam curavi ad fidem codicis mendosi nec satis versatus in emendandis lectionibus, saltem ad consilia historica, de quibus potissimum cogitavi, sufficere, donec melior quaedam ab editoribus monumentorum Germaniae historicorum vel ab aliis curata fuerit.

Oeniponti, die 5. Id. Iunii 1853.

I. F.

GODEFRIDI VITERBIENSIS

CARMEN

DE GESTIS FRIDERICI PRIMI IMPERATORIS

IN ITALIA.

De gestis domini Federici Romanorum imperatoris. Incipit a guerra Mediolanensium et Lombardorum anno domini. m. c. lxii. temporibus Adriani pape quarti et Alexandri tercii.

Regibus antiquis descripsimus omnia late,
Tu minor etate, Friderice, prior probitate,
Iam tua gesta patent, que recitare placet.
Nam Fredericia tempora, prelia, gestaque novi,
Indeque maxima vel magis optima promere vovi,
Que tulit aut movit, queve recepit ob id.

Incipiunt gesta inter imperatorem Federicum et urbem Mediolani. De prima exaltacione imperatoris Federici et primo ingressu Ytalie. cap. i.

Cum canimus magni regis mea musa cacumen,
Sub brevitate suum studiamus tangere numen,
Alcius incipias, organa nostra tument. f. Cl'.
Tunc tibi lingua mea planget, Friderice, trophea, col. 2.
Acta gigantea canat omnis in orbe chorea,
Tu quoque musa mea, surge, canamus ea!

V. 5. Codex habet novi. **v. 6.** Cod. obit. Non intelligi potest, ut putare videtur Docenus (Archiv. der Gesellsch. 4,359), de morte imperatoris, quia adhuc inter vivos erat Fridericus.

Cap. 1. v. 11. Cod. urbe.

Flos fuit ex flore regum Fridericus honore,
Sumpsit eum regem Iermania plena favore, 1152.
Imperii dominum semper habere volens. Mart. 5.
Rex ut Aquisgrani Karulorum sede resedit,
Ordine legitimo Iermania prorsus obedit,
Finibus Ytalie rex sua signa dedit.

Urbs Melana potens, meritis dicenda leena,
Viribus eximia, populis et milite plena,
Seva, superba, fera, tota rebellis erat.
Urbibus annexa fuit hec, quibus omnia vexat.
Que fuerint urbes exponere nomina restat:
Brixia, Terdona, Crema, Placencja bona.
Rex ubi Teutonicam meruit captasse coronam,
Querit et Italiam, quia sic docet inclita Roma,
Per medios Ligures regia signa volant.
Signa sui regis spernit Melana vereri,
Sed propria virtute sua vult rura tueri,
Nescia, quod sibi mors rex Fredericus erit.
Hanc ubi rex angit regalibus undique bannis,
Dissipat et frangit sex marte fluentibus annis,
Urbs, que summa fuit, marte reprensa luit.

---

v. 16. Cod. catulorum. **v. 22.** Cod. Viribus. **v. 30.** Cod. tibi. Emendavi ad fidem Pantheonis. **v. 33.** Panth. habet repressa. Post v. 33 sequuntur in Pantheone quindecim versus de civitate Asta:

Rex modo dissimulet mala, quae Melana meretur,
Ad reliquas urbes exercitus ire iubetur,
Et super Astenses arma tulere duces.
Rex abiit, Melana sibi non praebet honorem,
Tempus erit, quo facta luet, contrita furore.
Roma vocat regem, rex sua signa movet.
Magna timens regem mox deserit Asta colonum,
Ad castrum novum cuncti sua cuncta reponunt,
Unde suum vacuum deserit Asta solum.
Nec penitus vacua deserta relinquitur Asta,
Turribus eversis inventa cibaria vastant,

In Ligurum patria manet urbs, que dicitur Asta,
Inclita diviciis, modico munimine, vasta,
Que cito succumbit, nec tamen ipsa ruit.
Inclita Terdona, nimis irascente corona,
Victa ruit prona, capiens tria tristia dona,
Quippe tribus vicibus diruta tota tonat.
Flectit iter Romam, sortitur in urbe coronam, 1155.
Regia persona recipit papalia dona, Iun. 18.
Ungitur, errigitur, rumor in urbe sonat.
Presul Adrianus Romanaque curia tota
Tunc sine Romanis complevit regia vota,
Romaque commota vulgus ad arma vocat.
Acriter iratus consurgit ad arma senatus,
Prosilit armatus cesar, feritate citatus,
Marte secus Tiberim fervet utrumque latus.
Plebs abiit, rex obtinuit, multisque necatis
Unda fuit Tiberis defensio sola fugatis,
Sanguine tincta satis turba natabat aquis.
His ita completis papali munere freti,
Dum remeant leti, resident super arva Spoleti,
A quibus et cesar danda tributa [petit].
Falsa moneta venit, falsum cito cesar [redemit],
Prelia namque gerit, multos de plebe peremit,
Intus et exterius plebs superata gemit.
Imperat augustus: Pereat locus igne perustus!
Qui fuerat vacuus miles remeavit honustus,
Debita qui sprevit reddere, cuncta dedit.

Alterius muri nulla ruina fuit.
Dum rex egreditur melior fortuna paratur,
Iurat ei populus, sic Asta reconciliatur,
Culpa fuit modica, gratia plena datur.

v. 38. Cod. Vita. Emendavi ex Panth. **v. 48.** Cod. sicus. **v. 51.** Cod. natabit. **v. 54.** petit et mox redemit redingravi ex Panth.

Regales aquile veniunt ad plana Verone,
Flumina dum transit rex durius invenit omen,
Marte coartatur, bella Verona movet.
Montibus angustis et fluminis ordine cincti,
Rex proceresque sui fuerant quasi carcere vincti,
Conclusique snas non habuere vias.
Arma ruunt, qnia saxa pluunt de monte relaxa,
Interimunt, quassant proceres a vertice saxa,
Nullaque, dum pereunt, arma valere queunt. f.CII.1.
Quatuor has penas spacio sensere dierum,
Quo sine spe vite tulerant discrimina rernm,
Vulnera suscipiunt, nec tamen ulla gerunt.
Passibus ocultis snper alta cacumina tendunt,
Unde Veronensi populo malefacta rependunt,
Plebsque supercilii montis ad ima ruit.
Nunc pede truncari, nunc funditus exoculari,
Rex iubet, ingenuos laqueo super alta levari.
Talis honor reprobis debet ob ista dari!
Presul Romanus tunc mortnns est Adrianus,
Venit Alexander, cui restitit Octavianus,
Scisma fit ecclesie, pugnat utrinque manus.
Scismate fervente Friderica potencia venit,
Que Mediolanum post multa potenter ademit,
Quo satis absorpto lis recidiva redit.
Conspirant Ligures, profugus rex inde recessit,
Omneque ius regis Lombarda superbia pressit,
Ipsa sibi dominans tunc quasi cesar erat.
Rex rediit, Morianna luit, Cicilia clusa

---

v. 63. Panth. Monte coarctatis. v. 64. Cod. augnstis et cuncti; emendavi ex Panth. v. 71. Panth. tolerant. v. 75. Panth. redit. v. 84. Cod. sitis absorto. v. 88. Panth. Cilenia. Cf. v. 777. montis Cilleni. Referendum videtur vocabulum ad montem Cinisium; Icilium (Exilles) prope Segusiam nimis distare videtur a recta via. Morianna hodie S. Iean de Maurienne in Sabaudia.

Prebuit introitum regi pereunte Seusa,
   Et reliqui Ligures regia signa timent.
Burmia cum Tauaro palearum fecerat urbem,
Quam subito veniens rex obsidione perurget,
   Succnrunt Ligures, bellica signa patent.
Cesar ab opposito mox obsidione relicta
Obviat his, plebs obstupuit, que stans quasi victa
   Pacta petit pacis, plena dolore satis.
Nudatos gladios nuda cervice gerentes
Cesaris ante pedes veninnt veniam repetentes.
   Cesar amore dei parcere sancxit eis.
Regia mandata iurat gens pacificata,
Ante dies octo pax decidit evacuata,
   Guerra, velut fuerat, stat recidiva rata.
Urbs Mediolanum melins reparata resurgit,
Forcior effecta Lombarda poteucia turget,
   Utraque pars tumida fortis ad arma volat.
Rex prius obtiuuit, sed post fugiendo recessit.
Nec tamen a patria cessit, sed verbere fessi
   Tam rex quam Ligures Iam super arma silent.
Anuis ter senis tribulatis scisma recedit, 1177.
Vincit Alexander tandem, cui cesar obedit,
   Paceque consedit, consciliumque dedit. 1179.

---

v. 89. Panth. Segusa (Susa). **v. 91.** Intelligit anctor Alexandriam civitatem ad confluentes Tanari et Bormidae exstructam. **v. 92.** Cod. qua. **v. 98.** Cod. aut pedes. **v. 102.** Legendum videtur nata, sed consentiunt Cod. et Panth. in lectione rata. **v. 105.** Cod. Vitaque pars—volant. Emendavi ex Panth.; sed fortasse vitaque retinendum est et scriptum pro itaque, quum etiam in v. 617 scriptum sit vitaque pro itaque. **v. 109.** Cod. Anni.

De obsidione et destruccione Terdone. cap. ii.

[Ammodo] Terdone superest recitare dolorem,
[Que] Mediolani veteri subnixa furore
[Trans] acto more vult inimica fore.
[Rex] ubi castra movet, metuit fera turba leonem,
Cingitur orribili procerum Terdona labore,
Miles ut agreditur, plebs fugitiva dolet.
Undique rex arcet, populus secedit ad arcem,
Nec sibi sic parcet stringens eques undique partes,
Urbs capitur plane, turba cacumen habet.
Hinc cibus artatur, fons tollitur, apta paratur
Talpa cavans, aries mangonibus iniaculatur,
Perforat interius, rumpit utrumque latus.
Proxima iam morti cedit gens subdita sorti, 1155.
Introitum regi patulis dedit undique portis, Apr. 13.
Plebis menbra tamen vitaque salva manent.
Insita telluri rex menia precipit uri
Inde cadunt muri populi digne perituri
Sic Terdona ruit, que satis alta fuit. f. CII. 2.

De via eundi Romam post destruccionem Terdone. cap. iii.

Hec ubi complevit, celebris legacio venit,
Pergat ut hinc propere papalia iura tueri,
Ex ope pontificis iam monacrator erit.

Cap. 2. v. 112. Ammodo et mox Que et Rex redintegravi ex Panth. **v. 114.** Panth. consueto pro transacto. **v. 116.** Cod. Cogitur; emendavi ex Panth. **v. 119.** Panth. patet pro parcet. **v. 121.** Panth. inde pro apta. **v. 122.** Cod. immaculatur. **v. 124.** Cod. tam.

Cap. 3. v. 130. Cod. Set pro Hec.

Utque moras purget, vehementer papa perurget.
Rex bonus exurgens aquilas direxit ad urbem,
Dantque Placentina rura cremata viam. 1155. Mai.
Servit ei Parma, Bononica transilt arva,
Alpe satis parva Florencia pertulit arma,
Nuncius Achaie Paleologus adest.
Arnaldus capitur, quem Brixia sensit alumpnum,
Docmata cuius erant quasi pervertencia mundum,
Strangulat hunc laqueus, ignis et unda vehunt.
Tuscia devota sese dedit undique tota,
Nota vel ingnota subduntur regna remota,
Ad Pendentis aque predia castra iacent.

Unde dicitur Viterbium et quare. cap. iiii.

Ad vite meritum veniunt vexilla Viterbum,
Unde patens herebus fontem facit igne protervum,
Fortis ibi populus, miles ad arma probus.
Optimus indigenis fons balnea multa paravit,
Fertilis est patria, quam copia multa beavit,
Nam genus et species fertilitate trahit.
Illic Roma suos voluit requiescere fessos
Emeritos equites senio seu vulnere pressos,
Sic vite meritum res fecit ipsa locum.
Longa per obsequia cum vita labore gravetur,
Si senio premitur, si vulnere debilitetur,
Hic habeat requiem sepe senile decus.
Si preclara velit cesar sua gesta foveri,
Hoc decus imperii decet omni lege tueri,

---

v. 133. Legendum videtur mores, sed consentiunt Cod. et Panth. in lectione moras. **v. 138.** Cod. pallio longus; emendavi ex Panth. **v. 144.** Cod. Pedendas; emendavi ex Panth. Loquitur de loco Aquapendente prope Orvietum.

Cap. 4. v. 147. Cod. Fontis. **v. 152.** Cod. Et meritos. **v. 153.** Cod. ipse. **v. 156.** Cod. haberet.

Debeat ut senibus vita quieta geri.
Non hic servorum fit gloria, sed dominorum,
Si defectorum stet salvns honor seniorum,
Si nitet ipsorum veste platea, forum.
Si miserum prestat famnlum sibi diva potestas,
Dedecus infestat dominum, cui servit egestas,
Non sibi, sed domino, stat miser ille sno.

Regia perveniunt temptoria plurima Romam,
Gestet nt imperium Romana sede coronam,
Cni favet ecclesia, publica signa tonant.
Romanus populus antiquos expetit usns.
Rex despexit enm primatum, milite tntus,
Nil petit, imo iubet, Roma furore tumet.
Spe male frustatus discedit ab inde senatus,
Acriter iratns Romanus ad arma paratur,
Vincere primates regis et arma ratns.
Rex animo fortis movet agmina multa cohortis,
Papa dedit patulis aditum per devia portis,
Tecta beati Petri nocte snb ense petit. 1155.
Mane sub aurora sedem tenet atque coronam, Iun. 18.
Munere basilicam Petri reverenter honorat,
Roma dolens plorat, rumor in urbe sonat.

De bello inter imperatorem et Romanos apud sanctum Petrum die, qua coronatus est. cap. v.

Rege coronato dum Teuthona turma recedit,
Mox decus imperii Romana superbia ledit,
Arma tenens populus vulnera multa dedit.

---

v. 161. Cod sed pro si, quod habet Panth. v. 164. Cod. infesta. v. 175. Cod. animo pro agmina. v. 177. Cod. subesse pro sub ense, quod habet Panth.
Cap. 5. v. 184. Cod. comitente.

Irruit in regem turba comitante senatus,
Miles ut armatur, subito plebs mixta fugatur, f.CII'.1.
Sic ubi pugna calet, sanguine terra madet.
Turba caduca gemit, quam fluminis unda peremit,
Moribus innumeris populum tunc cesar ademit,
Inde triumphantis verbere terra tremit.
Hiis ita depressis cum cesare papa quiescit,
Dans requiem fessis modicam pro tempore cessit.
Transit abhinc Tiberim, sancia Roma gemit.
Obtulit obsequia tunc obtima terra Sabina,
Terra Tiburtina, Campania, terra marina,
Cesar ut accedit, munera terra dedit.
Undique deliciis dum fertilitate nataret,
Et gravis instaret febris proceresque necaret,
Plena manent feretris prata, platea, lares.

Papa Adrianus conqueritur imperatori de senatoribus noviter in urbe institutis et de rege Sicilie. cap. vi.

Cum male Romuleus populus foret agmine cesus,
In mediis campis fuerat cum cesare presul,
Lesaque Romana curia tristis erat.
Cesare multimodam posuit presente querelam,
Et petit, ut primam satagat prebere medelam,
Materiamque mali sic Adrianus agit:
En novus ingratus consurgit in urbe senatus,
Tollere primatus papa prohibente paratus,
Qui nisi pellatur, spes bona nulla datur.
Conqueror Appuliam Siculo servire tiranno,

---

v. 188. Cod. in numeris. v. 192. Cod. Tiberum.
Cap. 6. v. 199. Cod. cessus. v. 202. Cod. Cesari et potnit. v. 205. Cod. Et pro en.

Quam Beneventano cupimus consistere sompno,
Hanc nisi reddideris, non mihi cesar eris.
Sum tibi tuque mihi sociali federe iunctus,
Esque meis manibus iam convenienter inunctus,
Est tibi terra prope, fer, precor, inquid, opem.
Cesar ad hec motus animo favet illico totus,
Sed neque propositum potuit persolvere votum,
Febris enim dominis tollit ubique iocum.
Rex placare bonum satagit mulcendo patronum,
Tempore quo valeant equites artare colonum.
Nunc satis est feretrum flendo referre domum.
Papa supervacuas Adrianus concipit iras,
Ad mala conspirat, faciens per secula mira,
Sismatis errores corde manuque movet.
Differo maiorem pape recitare dolorem,
Cesaris in patriam reditum describo priorem,
Post loquar erorem, quem male Roma fovet.

De destruccione Spoliti propter falsam monetam, quam dederant imperatori Frederico. cap. vii.

Inde Spoletinam cesar procedit ad urbem,
Castra metatur, eques castrum precingit in orbem,
Digna tributa petit, turba dolosa dedit.
Falsa moneta datur, patuit fraus, pugna paratur,
Miles ut armatur, populus fugit, illa crematur,
Protinus urbs capitur, congrua pena datur. 1155.
Nunc sedet augustus, capitur locus ille perustus, Iul.28.
Qui fuerat vacuus miles discedit honustus,
Debita qui sprevit reddere, cuncta dedit.

---

v. 209. Cod. bene ventano. v. 213. Cod. fert. v. 215. Cod. solvere pro persolvere contra metrum. v. 217. Cod. mulcedo. v. 219. Cod. donum. v. 225. Cod. quam.

De tradicione Veronensium quando imperatorem et totum exercitum occidere voluerunt. cap. viii.

Regia signa movent, veniunt ad plana Verone,
Fraudeque maiore plebs obstitit illa corone,
 Cesaris et comitum perdere facta volens.
Flumen transitur, dum montis ad arta venitur,
Mox iter astruitur, pons frangitur, hostis aditur,
 Et quasi sub laqueo clauditur ille situs. f.CII'.2.
Inde pluunt lapides de verticis arce rotati,
Pilla, sagita cadunt, veniunt mortalia fati,
 Conclusos equites rustica turba tenet.
Vulnera suscipiunt, mors undique prona paratur,
Arma vacant equitum, pugne locus inde negatur,
 Previa comperiunt, fit rediviva salus.
Passibus ocultis patet hinc ascensio regi,
Rupibus alpinis iter hoc ad summa peregit,
 Rustica turba perit, que mala nostra gerit.
Que cupit imperium totum simul illaqueari,
Cogitur ex alto plebs vertice precipitari,
 Quodque precipitant fluminis unda trahit.
Nec satis est illos unda vel rupe gravari,
Sed pede truncari vel funditus exoculari,
 Non vult dampnari singula sorte pari.
Imperat ingenuos meliori lege necari,
Quos facit excelsa furca super astra levari,
 Talis honor reprobis debet ob ista dari.
Hec recipit dona pro tradicione Verona.
Nunc tuba magna sonat, procedit ab inde corona,
 Regia signa volant, pax datur inde bona. 1155.
Valle Tridentina nichil impedit ulla ruina, Sept.
Brixia festinat Bozamica tradere vina,

Cap. 8. v. 242. Cod. facti. **v. 263.** Bozamica derivatum videtur a Bauzana, Botzen.

Gensque subalpina prebet ubique viam.
Hinc vada dat Lichus, Germanica rura capescunt,
Prelia compescunt, iocus ingruit, arma quiescunt,
Et repetit patrie gaudia quisque sue.

De inicio discordie inter papam Adrianum et imperatorem Fredericum. cap. viiii.

Cesar ut in patriam vexilla retorsit ab urbe,
Grandis et orribilis discordia crevit in orbe,
Pax perit ecclesie, scismatis error adest.
Federe connexus fuerat cum cesare papa,
Si foret interdum pars altera forte gravata,
Altera subveniat, stent ea pacta rata.
Absque pari voto, cui consensisset uterque,
Nullum pacis opus Grecis pars altera prestet,
Sic neque cum Siculis pax agitanda fuit.
Federe corrupto, quo fertur papa teneri,
Migrat in Appuliam, vult cesaris hostis haberi.
Paccio nostra perit, Grecus amicus erit.
Hostibus imperii presul Romanus adhesit,
Federa dat Siculis, pariter dat federa Grecis,
Fit modo materies mortis et hora necis.

Cap. 9. v. 272. Cod. pax pro pars. **v. 275.** Cod. pax. **v. 281.** Cod. dant.

De discordia et divisione omnium cardinalium, ubi pars erat cum papa, pars cum imperatore. cap. x.

Scinditur ecclesia, pars altera parti [repugnat],
Munera despiciunt et federa Greca [recusant],
Cesaris auxilia pars retinere putat.
Hac in parte manus misit prior Octavianus,
Guidoque Cremanus, vir nobilis et veteranus,
Et reliqui secum scismata longa petunt.
Pars monocratorem pleno fovet ista favore.
Papa suo more werram movet in regione,
Sic et apud Ligures pacta nociva movet.
Pactio qualis erat satis hic describere possem,
Parco tamen dictis, ne forte pericla reportent,
Sit satis asserere, pacta nociva fore.

De morte Adriani pape in Campania. cap. xi.

Ad sua Campana dum predia papa rediret,
Et gelidos fontes modicum spaciatus adiret, f.CIII.1.
Imperio varias intulit ore minas.
Qua iacet, astricta nullo medicamine victa
Colla tument, moritur, guerra pro pace relicta. 1159.
Nam caput orribilis sismatis ipse fuit. Sept. 1.

Cap. 10. In inscriptione Cod. bis habet pax pro pars. **v. 283.** Cod. Dinditur. Metrum non admittit parti; nec tamen video, quomodo sit evitandum. **v. 289.** Cod. favere. **v. 293.** Cod. tandem et reportet. **v. 294.** Cod. asserem.

Cap. 11. v. 298. Cod. vincta.

Quomodo pontifices Rome eliguntur videlicet Alexander et Victor. cap. xii.

Ordine res agi, quo presul in urbe creetur,
Conveniunt partes Rome, locus aptus habetur.
Pax ne rumpatur iurat utrumque latus.
Cardi simul nales fuerant quasi bis duodeni,
Divisis animis vultu patuere sereni,
Fraude, dolo pleni cetus uterque venit.
Pars partem ledit, neutri pars altera cedit,
Sisma parant sedi, qua Petro mundus obedit, 1159.
Una duos dominos turba furore dedit. Sept. 7.

Denominacio duorum pontificum in sismate existenciuni. cap. xiii.

Unus erat Victor, dictus prius Octavianus,
Nobilis, almificus, speciosus, ad omnia planus,
Germine Romanus, larga pudica manus.
Alter Alexander, Rolandus nomine, Tuscus,
Vir pius et iustus, rebus vitaque venustus,
Inpiger, ingenuus, providus atque probus.
His ita contra ius totus confunditur orbis,
Languida Romuleis sunt omnia climata morbis,
Omne decus cleri, regula, norma perit.
Lis patet hac hora, quo vincat uterque laborat,
Roma nec explorat, cui iura favent pociora,
Sed quis maiora dona det absque mora.

Cap. 12. v. 304. Tmesi usus est auctor pro cardinales simul, quod non cadit in metrum.

Cap. 13. v. 311. Cod. almificicus. **v. 316.** Cod. conrorius pro contra ius. **v. 317.** Cod. clima.

Quot annis vixit Alexander in scismate et quot in pace. cap. xiiii.

Vixit Alexander ter senis scismatis annis,
Exul ab imperio dum multa pericula tangit,
Rex ubi concedit, pace vocante redit. 1177.
Annis bis binis sub pacis tempore vivit,
Culmen apostolicum tenuit, correxit, adivit,
Gestaque concilii post celebravit ibi. 1179.
Pax ubi facta foret, quo tempore, qua racione,
Differo colligere, venient narrantibus ore,
Nunc contra Ligures organa musa movet.

De prima obsidioue et dedicione Mediolani. cap. xv.

Federa dum Siculis Adrianus papa peregit,
Et Grecos Liguresque sibi sociatus adegit,
Ira movet dominum, qui diadema regit.
Italia terra tremit, quia cesar in agmine sevit, 1158.
Clade, fame, gladiis ostilia multa peregit.
Brixia, Melana, torva Placenza gemit.
[Lauda conqueritur] super omnia predia cara,
[Quam tunc] conventu rabies invasit amara,
[Turgida] Melana bella movere parat.
[Introit] ad populum tunc rustica turba virorum,
Omne genus pecorum portis reservatur eorum,

Cap. 14. v. 322. Cod. Dixit. **v. 329.** ore pro hore, ut saepius.

Cap. 15. In inscriptione Cod. habet dedicacione. **v. 334.** Italia, ut saepius, pro Itala, quod postulat metrum. **v. 337.** Vix affirmarem, me explendo lacunas redintegrasse sententiam auctoris; Papia non convenit metro. **v. 340.** In codice apparet in initio versus lacuna unius syllabae et vocabulum ivit; sed nec ivit, nec inivit vel aliud compositum cadit in metrum.

Clauditur interius copia multa boum.
Rex ubi procedit, fugiens Melana recedit, Aug.
Viribus obsedit populum, quia nullus obedit,
Ictus mango dedit, ictus ab urbe redit.
Sol erat in cancro, Melana calore laborat,
Nulla datur requies, omnis datur ictibus hora,
Turba fame moritur, nec valet ire foras.
Maior erat pecorum numerus, quam turba virorum,
Febribus et gladiis mortis metus instat eorum,
Plena iacet feretris strata, platea, forum. f.CIII.2.
Omne pecus periit, numerosaque copia plebis,
Quos gladius cedit, fetor malus undique ledit,
Cesaris ad veniam turba superba redit. 1158.
Porrexere preces, veniam pro pace petentes, Sept. 8.
Et veniunt nudos gladios cervice ferentes,
Cesar amore dei parcere sanxit eis.
Vix tribus hic vicibus fuerat limacio plena,
Cum devicta foret gravis hic obsessa leena,
Omnia subiciunt cesaris arma fera.
Ortus et occasus urbem superare nequiret,
Quam cicius faciunt nostre succumbere vires,
Hac ita devicta cetera victa silent.

De sentencia dicta in Roncalia ad iura fiscalia distinguenda. cap. xvi.

Finibus his victis gens Ytalia tota quievit.
Tocius imperii cesar fiscalia querit,
Omnibus Ytalicis rex nova iussa dedit.
Unde satis propere vocat edita carta Quirites:
Ad loca Roncalie, dixit, quicunque venite,

Cap. 16. v. 366. Cod. nona. **v. 368.** Cod. venit.

Quotquot sunt urbes in regione scite! 1158.
Errigitur solium procerum constante senatu, Nov. 11.
Bulgarus et Iacobus, Martinus et Hugo vocatur.
Hiis in Roncaliis dicere iura dedit.
Legibus inspectis et rebus ab inde notatis,
Iudicis officio proceres sunt cerciorati,
Qualiter imperii terra tributa dabit.

Iudices Bononienses Martinus, Bulgarus et Iacobus iura fiscalia in Roncaliis distingunt. cap. xvii.

Lex, ait, o cesar! tibi donat ubique monetas,
Dat tibi tutelas, tibi subdit et ipsa querelas,
Flumina, silva, fera regia iura ferant.
Littora, porta, palus, fisco via publica servit,
Omnis ager plebis dat vectigalia regi,
Omne genus pecorum publica iura ferunt.
Cuncta molendina solvunt tibi iure farinam,
Quotquot habet lina mare, quot vehit unda carinas,
Et quod nauta geret, publica iura feret.
Principis officium sine cesare nemo meretur,
Omnis honor mundi te constituente tenetur,
Absque tuo dono vix valet ullus honor.
Tu lex viva potes dare, solvere, condere leges,
Stantque caduntque duces, regnant te iudice reges,
Rem, quocunque velis, lex animata regis.
Cesar ut innumera scentit sibi crescere iura,
Singula procurat titulis describere rura,
Fiscus abhinc properat tollere iura sua.

Cap. 17. In inscr. Cod. habet iuri pro iura. **v. 376.** Cod. Rex pro lex. **v. 387.** Cod illius pro ullus.

De secunda rebellione Mediolani et rehedificacione Terdone. cap. xviii.

Urbibus Ytalie comites pro consule ponit,
Quos ubi suscipiunt, venerantur ubique coloni,
Et vacat obsequiis terra referta bonis.
Cumque datus preses Melanica rura teneret, 1159.
Hos quoque prebere cum digna tributa iuberet,
Spernit eum populus, nec iuga nostra feret.
Cuius rupta fides a cesare tota recedit,
Acrior incedit, regnum pro tempore ledit,
Dedecus exibuit, verba maligna dedit.
Cuius ad impensas reparat Terdona ruinas,
Evaditque minas, quas intulit ante Papia,
Ut pax non fiat, tollit ubique vias.
Prestat opem sceleri Brixana, Placencia dives,
Et passura simul Bononia bella requirens. f.CIII'.1.
Sed reliqui Ligures dissimulando silent.
Nondum parte sua super hoc discrimine lesa,
Cedit ab Italia cauto moderamine cesar,
Cuius et in redditu vindicat ipse dolum.

Opprimit inter ea fortissima Crema Cremonam,
Tunc Melana tonat, tunc ledit ubique coronam,
Ut male diripiant, que potuere, bona.
Si Melana potens garrire velit, scia fiat.
Expedit, ut caveat bello veniente Papia,
Ad mala cuncta quia plena furoris yat.

Cap. 18. v. 394. Cod. Orbibus Ytalie committens. **v. 396.** Cod. obsequins. **v. 409.** Cod. parate. **v. 410.** Quod dicit auctor, Fridericum primam inter et alteram obsidionem Mediolani cessisse ab Italia, non concordat cum itinerario. **v. 412.** Cod. Cremona. **v. 413.** Cod. in initio versus habet nunc pro tunc. **v. 417.** yat pro hiat.

Tocius Ytalie frenum Melana teneret,
Si monocrantis ei modicum fortuna faveret,
Quem quia non timuit, digna pericla tulit.

De secunda dedicione Mediolani et de eius destruccione et de secunda desolacione Terdone. cap. xviiii.

Cesaris adventum probitas Melanica novit, 1160.
Et mediis campis committere prelia vovit,
Civibus eductis cauta latenter adit.
Ardua fluminei servabat litora ruris,
Qua tunc securi fuerant a sorte futuri,
Tunc strepitus populi concitus arma tulit.
Cesar in opposito stans litore cuncta notavit,
Cui vada dat fluvius, que nemo vadanda putavit.
Addua tunc aditus plebe negante dabat.
Irruit in populum turba trepidante Boemus,
Vincitur hinc penitus, victricia signa tenemus,
Vir perit in fluvio, femina, quodque genus.
Pontibus erectis transit cum milite cesar,
Addua grandis erat, naut plurima corpora cesa.
Rex iubet, ut reliqua copia castra petat.

Agmina, que pridem campo latuisse notavi,
Regis in excidium Melana superba paravit,
Nescia, quod populi litore turba cadit.
Ex inproviso pervenit ad illa Boemus,
Qui nimia ignarus direxit in agmina frenum,

Cap. 19. v. 422. Cod. novit. **v. 427.** Cod. notabat. **v. 429.** Cod. Ardua. Forse etiam in v. 424 legendum Addua (flumen Adda) pro ardua. **v. 430.** Boemus, rex Bohemiae, Wladislaus II. **v. 433.** Cod. evectis transit in. **v. 434.** Cod. Ardua.

Grandis erat strepitus, vulnus ab hoste ferunt.
Vir dum bella gerit, mortem discrimine querit,
Miles ab hoste perit, neuter putat arma tueri,
In dubium venit, quis modo victor erit.
Regia turma recens veniens adiungitur illis,
Quisque suis manibus gladium presentat Achillis,
Que latitabat agris turba dolosa cadit.
Carcere quingentos equites respublica cepit,
Vulnere confectos reliquos Melana recepit,
Grandis et orribilis planctus in urbe redit.
Tunc Martisanam, sibi quam Melana subegit,
Victor cesar habens ad gaudia prisca redegit,
Sic prius oppressos aula benigna regit.
Omnia circuitu subito castella tenemus,
Plurima destruimus, sed plurima stare iubemus,
Undique subicimus predia, rura, nemus.
Cesar ab inde feram percingit in orbe leenam,
Pro meritis merita refferens, pro crimine penam,
Ut sic morte ream perdere marte queat.
Hec ubi gesta tonant, venit generosa Cremona,
Astans mente bona regi dedit inclita dona,
Gaudia multiplicat nostra Papia bona.
Brixia colla dedit, Bononia prorsus obedit,
Arte quidem dedit, sed corde Placencia ledit.
Cesaris ad libitum terra subacta redit. f.CIII'.2.
Dirupta Cuma venit, quam torva leena subegit,
Laudaque conqueritur, quam viribus hostis adegit.
Ora rigat lacrimis, qui diadema regit.
Rex iubet hanc miseram actus cessare querelam,
Et monet, ut nullam super his petat illa medelam,
Ni prius obsessam perdicione premat.

---

v. 451. Cod. Mantisanam. Intelligit auctor Martesanae marchionatum inter Mediolanum, Comum et Bergomum.

Turgida messis erat, quam curia perdere querit,
Arma premunt segetes, que non potuere tueri,
Terra iacet sterilis, fructus ubique perit.
Surgit ab obsessis, postquam perit undique messis,
Civibus oppressis, ad proxima castra recessit,
Qua requiem querat, frigus et imber erat.
Servantur montes, servantur et undique valles,
Litora fluminea, cunctique per abdita calles,
Ad loca morte rea ne ullus cibus eat.
Evolat interdum solita feritate Boemus,
Cuius ab obsequiis predas retinere solemus,
Perforat intrepidus flumina, rura, nemus.
Urbs silet et patitur terroribus undique plena.
Iam lepus efficitur plebs, que fuit ante leena,
Egregius populus iam quasi vinctus erat.

De edifficacione nove civitatis Laude per imperatorem Fredericum et rehedifficacione Cumane civitatis. cap. xx.

Viribus imperii iam nunc nova Lauda creatur,
Cuma reformatur, invisaque Crema crematur, 1160.
Grecia turbatur, rector in orbe datur. Ian. 26.
Prelia cesarei narrantur in orbe trophei,
Viribus imperii quantum sibi culmen adegit,
Quis vigor insit ei, publica fama vehit.
Ammodo iacturam regum sibi quisque futuram
Extimat et curat, ne fiat ei nocitura,
Ne per tam dura prelia regna ruant.
Urbs bona septeno succumbere cogitur anno,

---

v. 477. Cod. queat. v. 479. Cod. calos. v. 480. Cod. erat pro eat. v. 482. Cod. ad pro ab.
Cap. 20. In inscr. Cod. redifficacione.

Marte, fame valida, regali perdita banno,
    Absque tenore bono iam ruitura solo.
Urbs veniam repetit, veniam nequid ipsa mereri,
Que regnabat heri nulla valet arte tueri,
    Stantibus ecclesiis Troia secunda perit. 1162.
Enses et laqueos nuda cervice ferentes mart. 26.
Cesaris ante pedes populi iacuere dolentes,
    Qui miserando reis menbra relaxat els.
Cesar ait: Victis solito moderamine parco,
Corpora Romuleo satis est prostrasse monarcho,
    Vivite vulgari rura colendo lare!
Quatuor ex populo texantur in ordine turbe,
Haud procul a veteri iam [iam plebs constitit urbe],
    Qualibet in proprio miles arabit [agro].

Auctor arguit imperatorem, quia posuit Mediolanenses ante portam sue civitatis in quatuor villis, cum debuisset eum longius (ponere). cap. xxi.

Arguo vos proceres, et te simul arguo regem,
Non ita captivis facilem decet edere legem,
    Tecta sue patrie quis rehabere neget?
Si captiva potest vulpis rehabere cavernam,
Arte sua latebram sataget retinere paternam,
    Et iam capta semel caucius antra tenet.
Iam nunc tempus adest, racio monet atque perurget,
Ut socie scelerum pariter sua crimina purgent,
    Et rex morte reas sortē coequet eas.
Menia Terdone, qua clamabant fia, fiat, f.CIIII.1.
Cesaris auxilio destruxit amanda Papia,

---

v. 499. nequid pro nequit, ut saepius. **v. 509.** Cod. Aut pro Haud.
Cap. 21. In inscr. Cod. Actor. **v. 513.** Cod. re habere.

Nec scelus evadunt, menia cuncta cadunt.
Brixia, Bononia divesque Placencia plangit,
Hasque dolor similis destructis turribus angit,
Menia parva tamen cesare dante manent.

De colloquio inter imperatorem Fredericum et Lodoicum regem Francorum pro reconciliacione scismatis in partibus Bisuntinis super fluvium Laona in loco Dole. cap. xxii.

Regia pax crescit, rex digna tributa capescit,
Prelia conpescit, gens Italia prelia nescit,
Attamen ecclesias sismata longa gravant.
Unde per imperium condigna querela movetur,
Cesar ut aspiciat precibus, quam sepe monetur,
Vult procerum cetus tollere scisma vetus.
Spondet opem superis rex Francorum Lodoicus,
Vir quasi catholicus, pacis quasi verus amicus,
Cesaris alloquiis querit adesse citus.
Fraude parat artes, spondet constringere partes,
Cesar ut ipse suas simili racione coarcet,
Et quem iura volent sumere papa foret.
Iurat et obsidibus spondet rex Francigenarum,
Debita causarum non fallere prorsus earum,
Possit ut ignarum fallere fraude parum.
Sic cesar cedit, precibus seductus obedit,
Et nimium credit, quia subdola Gallia ledit,
Ad loca iudicii sistere scisma dedit.

Cap. 22. In inscr. Cod. Bisetainis. Fluvium Laona non inveni in tabulis geographicis; sed occurrunt diplomata Friderici imperatoris (Böhmer regesta. n. 2465.) data in ponte Laone, quod autem forse referendum ad civitatem Laonam, hodie S. Iean de Losne, in v. 555 memoratam, non autem ad fluvium quendam, et hoc in loco potius legendum Saona. **v. 535.** Cod. parant.

Indicii prebet nobis Burgundia sedes 1162.
Ne sacras federint cnnctagia scismatis edes. Sept.
Cesar apostolicum protuiit ante suum.
Rebus in Ytalicis longa stacione paratis,
Ad loca iudicii pergit regina Beatris,
In propria patria letificata satis.
Annuit eggregiis procerum sentencia factis,
Cesar ut ecclesiis reddat sua iura beatis,
Vadit ab Ytalia copia multa satis.
Optima nostrorum confinia sunt dominorum,
Flumine regnorum stat terminus aptus eorum,
Qua sedet amborum fertilitate forum.
Concilii loca Sauna dedit, locus ipse Laona,
Quo veniunt proceres, quos concitet aurea Roma,
Clerus ad hec properat, papaque mente bona.
Cesaris aula fuit sublimibus alta colnmpnis,
Qua sedet innumeris solio stipatus alumpnis,
Inclita pars natu stringit utrumque latus.
Rex ibi Danus erat, prebens ingentia dona,
[Querit ut im] ponat cesar sibi rite coronam,
[Illam cum] donat, laudibus aula tonat.
[Rex sedet] in terra modica constante caterva,
[Litus] aque servat, solium facit arbor et herba,
Maxima ponpa sui non ibi tota fuit.
Solvere promissum cesar sine fraude paratus,
Urget, ut alterutrum iudex bonus instituatur.
Sed rex pollicitis deffuit iile suis.
Pactio regis erat iurandi nexa catena

v. 545. Cod. f e d e r i t. **v. 548.** Beatrix, uxor Friderici, filia Reinaldi comitis Burgundiae. **v. 559.** Ovid. Metam. 2, 1. „Regia solis erat sublimibus alta columnis.“ **v. 560.** Versus negligentia librarii in contextu omissus, sed ab alio quodam in fine columnae adscriptus est. **v. 561.** Cod. n a t u m. **v. 562.** Rex Danus Waldemarus, cuius iter in Burgundiam longius narrat Saxo Grammaticus. **v. 563.** Cod. c o r o n a t.

Qui modo iudicium fugiat, ferat ordine penam,
  Qui reus obses erit, pena feratur ei.
Fraus erat in patulo, cesar promissa requirit,
Rex promissa negans pacti violator abivit,
  Restat, ut obsidibus pena petatur ibi.
Henricus comes obses erat sociique potentes,
Cesaris ad libitum remanent promissa tenentes, f.CIIII.2.
  Federe quippe reos causa coartat eos.
Obses ait: Rex noster abit, nobisque relictis
Imminet ascriptis persolvere debita dictis,
  Cesaris in manibus sorte ferente sumus.
Corpora cum rebus, cesar, tibi subiciemus,
Quicquid erat proprium, per te quasi feuda tenemus,
  Si pars nostra luit, regia culpa fuit.
Hec ubi dicta placent procerum plaudente senatu,
Laus datur ossidibus, nullo remanente reatu,
  Sponsio iuratur, gracia plena datur.

Imperator a colloquio regis Francorum rediens transit in Ytaliam dividens exercitum in duas partes, quarum unam ducit versus Appuliam per marchiam Anchonam, alteram mittit Romam per archiepiscopos Maguntinum et Coloniensem, et tunc facta est magna strages Romanorum in monte de Porcu. cap. xxiii.

Nunc tuba magna sonat parva trepidante Laona,
Teutona signa volant, procedit ab inde corona,
  Et reddit ad propria Renica rura bona.

---

v. 577. Henricus, comes Campaniae, maritus filiae et frater uxoris Ludovici Franciae regis.

Cap. 23. Mons de Porcu, qui memoratur in inscriptione, hodie Monte Porzio, distat a Tusculo duo millia Italica ad orientem vergens. **v. 591.** Cod. renica tura.

Temporis exigui cesar brevitate quievit, 1166.
Rursus in Ytalia propria virtute resedit, Nov.
Cardinis Ytalici terra tributa dedit.
Censentur bine pariato milite turme,
Una suis ducibus conducta refertur ad urbem,
Perdita colligere, publica iura dare.
Plurima pars equitum, que cesaris agmine pergit,
Tendit in Appuliam, quam tunc sine marte subegit,
Absque labore sui subdita terra fuit.
Altera pars equitum Lacios invadere pagos
Pergit, et urbs animos in eos inpellit amaros,
- Et parat, ut bello iam tueatur agros.
Castra movet populus, Romanaque signa senatus,
Instructis cuneis saliens ad bella paratur,
Acriter iratus, vincere cuncta ratus.

Maguntinus et Coloniensis triumphant de Romanis. cap. xxiiii.

Obvia Romanis acies Iermana resultat, 1167.
Quos gladii feritate sui sub vulnere multat. Mai. 29.
Terga dedit populus, Romula signa ruunt.
Roma cadit fugiens, cecidit pars magna senatus,
Strata, iacens capitur, sed et urbs capienda putatur,
Arma, decus, spolium perdit ubique suum.
Urget Agrippicius Rainaldus prelia pressus,
Atque Maguntinus Romana trophea meretur,
Vitaque Roma vetus perdidit omne decus.
Hii duo presbiteri, quos pretulit ordine cesar,

---

v. 595. Cod. parito. **v. 597**. Cod. Predita. **v. 602**. Cod. meos pro in eos. **v. 605**. Cod. salliens.

Cap. 24. v. 607. Cod. aceis pro acies. **v. 608**. Cod. glacii. **v. 615**. Vitaque pro Itaque? cf. v. 105.

Tam male cantabant requiem super agmina cesa,
Cesa per arva necant et tumulanda vetant.
Milia bis bina per prata iacent resupina,
Pluraque captiva retinent in carcere viva,
Vulnera mortifera sanguine prata rigant.
Urbs exasta suis populis pro pace precatur,
Cesar ab Appulia, qua venerat, huc revocatur,
Urbs ut tradatur, spes satis ampla datur.

Quomodo totus exercitus imperatoris Rome egrotavit post casum Romanorum et miserabiliter rediit. cap. xxv.

Fervida stella poli cauis est coniuncta leoni, 1167.
Ordine zodiaci conecteus sidera soli, Aug.
Datque calore poli corpora febre mori.
Hic solet ardore sol perdere corpora Rome, f.CIIII'.1.
Febribus innumeris infligere sepe dolores,
Nunc dedit ex more deteriora fore.
Dum nequit in gladio se maxima Roma tueri,
Febris ab auxilio poterit salvanda videri,
Miles febre perit, quem metuebat heri.
Quos non Roma potest, potuit disperdere ventus,
Cuius in adventu cecidit Germana iuventus,
Sic ubi Roma tacet, gloria nostra iacet.
Heu quia Romuleis modico sub tempore morbis
Vincitur et premitur dominator et urbis et orbis,
Febre calente gemit, quem mare, terra tremit.
Cesaris ad libitum iuraverat omnia Roma,
Venit ab australi ventus cum fulgore zona,

v. 622. exasta pro exhausta?
Cap. 25. v. 626. Cod. zodaici. v. 635. Cod. semana iuventur.

Castraque precipitant ventus et aura tonans.
Omnis homo madidus solis fugiente calore,
Leditur orribili febris veniente rigore,
Et caput ex more, vixera, crura dolent.
Omnia iam fuerant febrili vulnere lesa,
Solus sanus erat, quo nescio munere, cesar,
Qui modo ne pereat, gracia summa vetat.
Cesar ait: Feretra faciant hinc inde parari.
Respondetur ei: Quo possunt monte secari?
Unde tibi poterunt stramina, ligna dari?
Ecce, iacent equites, dudum iacuere clientes,
Plaga tenet pariter dominos servosque dolentes,
Nemo potest domino reddere iura suo.
Roma quidem languet, sed si non sana iuvaret,
Ferre suis feretris tot corpora posse negaret,
Nec si plaustra daret, ducere cuncta valet.
Quis dabit hic medicos, aut que medicina valeret?
Corpora tot iuvenum digna pietate foveret,
Omnia quis gelidus fons ad aquare feret?
Quis sellabit equos aut quo modo frena trahemus,
Armaque cum feretris qua caliditate vehemus?
Plena iacet feretris prata, platea, nemus.
Vix regina potest sanos habuisse iugales,
Qui sua sufficiant medicamina posse levare,
Quid reliqui facient, qui neque stramen habent?
Heu dolor orribilis, timor inclitus, orrida pena,
Qui poterunt medici solacia solvere plena?
Quod nequit hic medicus, gracia summa queat.
Fetor ab infirmis nimis intollerabilis exit,
Fetet equus, plus fetet homo, fetet quoque vestis,
Fetet iter nimium, fetet ubique domus.
Cum fectoris honus non possent agmina ferre,

---

v. 645. vixera pro viscera, ut saepius.

Cedit ad irrigua laudata cacumina terre,
Fontibus et glera locus amenus erat,
Summus apud Tuscos mons dicitur ille Miatus,
Qua requiem capiunt, quos fervidus urget yatus,
Arboribus, pratis, aere letus, aquis.
Cesar ut ascendit, sua castra sub arbore tendit,
Dum calor intendit, medici solacia pendit,
Curaque flebotomi digna paratur ei.
Sanus et incolumis dum staret in arce monarcus,
Forcius in proceres mortis pretenditur arcus,
Undique dum vadunt, morte calente cadunt.
Regis Conradi natus recolenda potestas, **1167.**
Dux Fredericus obit, quem regia planxit honestas, **Aug. 19.**
Dux Welfo cecidit, duxque Boemus obit,
Rainaldus presul, quem cesar ad omnia misit, **f. CIIII'. 2.**
Ossa, velut reliqui, patrie decocta remisit, **Aug. 14.**
Heu quot depereunt febre, calore, siti!
Heu quot pontifices, duces, comitesque potentes,
Plangunt exhauste patrie sine fine dolentes,
Unde pater patrie, quid sibi plangat, habet.
Ibant armigeri bini iamiam morituri,
Alter ait socio: Tumulo sumus hic carituri,
Suscipe iam tumuli tu tibi facta tui!
Mors sedet in prona, iam nulla vivimus hora,
Nil valet ergo mora tumuli, que nec dabit horam,

---

v. **675.** glera, cf. glossarium Ducangii, ubi hoc vocabulum, a Benedictinis additum, arena, gall. greve explicatur et dubitatur, an sit scriptum a librario mendose pro gleva, quum in unico tantum loco inveniatur. v. **676.** Cod. nuatus. Mons huius nominis frustra quaeritur illis in regionibus; sed loqui videtur auctor, ad quod animum meum advertit Boehmerus, de monte, qui hodie nominatur Amiate in Tuscia meridionali inter Viterbium et Senam. Amiatus, quod contractionem postularet, non convenit modo scribendi auctoris; sed sine dubio potest corrigi Miatus, quum vix distinguendae sint in scriptura literae nu et mi, v. **691.** Cod. comitesque duces.

Spiritus aut anima gestit abire foras!
Tunc ego: Dum vivus, cur stulte sepulcra requiris?
Ille refert: Tumulos melius fore tunc dare vivis,
Quam careant tumulis corpora lapsa viis.
Que dedit armatum mater ditissima natum,
Ignorans fatum dum sperat honorificatum,
Maternis manibus os sine carne datur.
Ossa tenens mater lacrimis solatia querit:
Quis dedit Ytalie tua vixera, nate, mereri,
Ossa mihi peperit, cetera, dixit, ei.
Cesar ad hec: Omnes, inquid, properantur abire!
Eger ait moriens: Opto mea fata venire!
Rex iubet, ut pariter suscipiatur iter.
Pergunt pacifice, servit sibi Tuscia tota,
Ad Pontistremuli veniunt montana dolosa, 1167.
Volvitur ambigua sorte ferente rota. Sept.

De bello inter Lonbardos et imperatorem apud Pontremulum toto exercitu egrotante et revertente ab urbe. cap. xxvi.

Parturiunt Ligures dudum concepta venena,
Datque scelus sceleri Ligurum Melana leena,
Nec licet, ut feretra corpora sana ferant.
Rustica turba furens equites confundere querit,
Nec putat hic cesar, egra corpora posse tueri,
Regia dum comedit, castra sagitta ferit.
Miles ut assistat, cesar clamoribus instat,
Mors quasi non distat, gladio furit atque balista,
Non quasi cesar erat, sed leo mente fera.

---

v. 699. Cod. abira. v. 713. Pontremuli in marchionatu Malaspina ad pedem Apennini. v. 714. Cod. forte. Cap. 26. v. 722. Cod. quas pro quasi.

Omnibus armatis sunt omnia dedita satis,
Morte minante satis armatur et ipsa Beatris,
Et geminis clipeis candida colla capit.
Impetus augetur, nimium regina veretur,
Nescio quo merito clipeis protecta tuetur,
Sic dum bella petunt, optinet illa decus.
Qui iacet eger eques, redivivus ad arma resurget,
Nam pugna incumbens plus quam dolet [morbus adurget],
Sic metus est medicus, pugnaque [grata salus].
Nam poterant miseri pacem moriendo [mereri],
Tecta sui feretri vix cogitur ipse tueri,
Vult pugil hic fieri, qui fuit eger heri.
Miles inhermis erat, quia cuncta reliquerat arma,
Vixque potest feretra vacuus vectare per arva,
Undique sunt honeri corpora lesa suis.
Parvulus armorum numerus parvusque virorum,
Prelia tantorum sic substinet Ytalicorum,
Nec perit istorum sarcina, preda, forum.
Plebs mala conspirat, montisque cacumina girat,
Bella ferunt dira, redeunt certamina mira,
Gens egra febricitat, nec minus arma parat.

Opizo marchio Malaspina succurrit imperatori et exercitui pereunti apud Pontremulum. cap. xxvii. f. CV. 1.

Opizo marchese, quem tunc Malaspina vocabant,
Magnus apud Ligures, nostros vehementer amabat,
Dum labor instabat, comoda multa dabat.
Quod maris aut terre mons Appeninus habebat,
Opizo, quem memini, proprio sub iure tenebat,
Et que turba fera venerat, eius erat.

v. 736. Cod. relinquerat.

Hic venit, ut nostris succurat ibi morituris,
Et facit, ut bellis cessetur ab inde futuris.
Hic ubi ductor adest, turba quieta favet.
Aspera terra nimis feretrum deducit ab imis,
Asperiorque cibis, gelidis ditissima rivis.
Hinc ad Ticini lictora pace venit. 1167.
Tunc venit Abigail vel Magdalena Maria, Sept.
Currit amica pia domino redeunte Papia,
Multa per obsequia plena favoris yat.
Corpora fessa vacant, tunc balnea multa parabant,
Tunc cibus instabat, qualem medicina vocabat,
Quicquid egri cuperent, nostra Papia dabat.

Qualiter imperator per tradicionem in civitate Segusia occidendus erat, fraude comperta solo duce Bernardo de Ceringa comitante aufugit et per montem Sinisium usque Geltinam civitatem occulte pervenit. cap. xxviii.

Grandis apud Ligures iurata rebellio crevit,
Laudaque nos ledit, quam cesar ab hoste redemit,
Gaudia sunt reliquis, sola Papia gemit.
Rex sedet iratus, Ligurum feritate gravatus,
Milite nudatus sociisque minorificatus,
Pluribus ingratus ludibrioque datus.
Cedit ab Ytalia cesar paucis comitatus,
Tunc iter obstruitur, sibi mors occulta paratur.
Venit Segusium, qua latet hostis honus. 1168.
Insidias Ligurum tunc evasisse putaret, Mart.

Cap. 27. v. 752. Cod. censetur. **v. 762.** Cod. vocabant.

Cap. 28. In inscr. Cod. Benardo. Geltina civitas istis in regionibus non invenitur; probabiliter loquitur de Gebenna.

Cum sibi iam mortem Segusius arte pararet,
Dum dolus instaret, fraus patet, ipse cavet.
Sic ubi regis eques pro rege manere paratur,
Nocte fugit dominus, solo socio comitatus,
Montis Cilleni nocte sub alpe venit.
Miles erat regi specie conformis et illi
Barba, manus, facies similis, flavique capilli,
Quem faciunt regis sede sedere sui.
Vesteque cesarea persona fuit redemita,
Creditur a populo cesar fore fraude petita,
Arteque mentita sede sedebat ita.
[Munera cesarea sibi tunc] iubet ille parari,
[Obsequioque] pari stat cetus eum venerari,
[Victum] militibus mandat ubique dari.
Rex Bertoldus erat, per quem fuga nostra paratur,
Sic apud alpinos populos vehementer amatur,
Cuius et ingeniis vita redempta fuit.
Alpibus ingeritur vallemque subit Murionum,
Suscipit egregium gavisa Gabenna patronum,
Cui comes et populus contulit omne bonum.
Dat ei Rodanus lucios truitasque decoras,
Gaudet ab Italia dominos restringere lora,
Miratur Ligures hos pepulisse foras.
His ita salvatis racio monet, ut videatis,
Quid Segusa facit, quid agat regina Beatis,
Et fortes reliqui, quos labor ille capit.
Cuius ubi regem noctu percepit abire,
Arte dolum reprimunt, quem morte parant aperire, f.CV.2.

---

v. 777. Mons Cinisius? cf. v. 88. v. 778. Cod. species. v. 779. Cod. favique. v. 787. Otto de S. Blasio militem non nominat Bertoldum, sed Hartmannum de Siebeneich; sed hoc excepto fides relationis Ottonis saepe in dubium vocata hoc loco confirmatur. v. 790. Cod. valemque. Murionum, Maurienne. v. 799. Cod. precepit. v. 800. Cod. parat, quod non convenit metro.

Unde patent domine pacis ubique vie.
Pergit et ignorat, quo ducant fata maritum.
Carta refert, ipsum patria cum pace potitum.
Legit et ingemuit, nescit et ipsa situm.
Hec ubi carpit iter, studet amplicuisse marito,
Gaudet et invento longa stacione petito,
Cuius ad imperium fervet abire cito.
Inde suam patriam cum coniuge cesar adivit,
Omnis terra sibi placito moderamine luvit,
Forcius Allobrogos nam dominatur ibi.
Sic decet, o lector, que nunc legis acta notare,
Ut, dum Lombardos dominum loquor inde fugare,
Non quasi vulgares sint probitate pares.
Maxima dum nimiam potuit devincere turmam,
Et dum sanus egrum subito certamine turbat,
Si pars egra luit, laus ibi nulla fuit.
Teutonicis gladiis potuit mare, terra moveri,
Nulla potest paritas tante probitatis haberi,
Qui fuit eger heri, cras quoque sanus erit.
Sunt, fateor, Ligures animo populoque viriles,
Gens feritate valens proprias extollere vires,
Nec tamen est tenebris equiparanda dies.
Lombardia foro multoque referta colono,
Subdita Romano Romana lege patrono,
Leta sedet populo, milite, rure, bono.
Quantumcunque tamen dignoscitur aucta decoro,
Cesaris ad laudem se conspicit inferiorem,
Huncque suum dominum iure subacta colet.

---

v. 822. Cod. equiperanda.

Quomodo Lombardi omnem potestatem imperii a se excuciunt et omnia iura fiscalia auferunt. cap. xxviiii.

Heu mala tempestas, quam Romula protulit estas,
Agmina funestans, que regia planxit honestas,
Qua veniente gemit, quem mare terra tremit.
Nunc gravis imperio gens Itala prelia gestat,
Cesaris infesta cessavit ubique potestas,
Fisci pompa ruit, consul ubique fuit.
Tunc bene valatam Melana recoligit urbem,
Et magis elatas firmavit in aggere turres,
Dansque magistratus extitit ipsa caput.
Burmia cum Tanaro coniuncta nociva patravit,
Ingentes populos, cives sibi multiplicavit,
Nomina glorifica villa superba trahit.
Urbs ab Alexandro nomen tulit arte reperta,
Flumine complexa, populis armisque referta,
Vinetis, pratis, milite, pisce satis.
Hec nova planta manens fisci circumdatur agris,
Unde suam propriam cesar sibi tunc reputavit,
Sed quia sic vadit, vis sine iure cadit.
Hec sibi gens Liguris maioraque crimina querit,
Sevit et imperii contempnit iussa vereri,
Tots per Italiam gloria nostra perit.
Nostra Papia timens, ne forte sub hoste periret,
Urget et inquirit, dignetur ut ipse venire,
Ipsa timens Ligures iam quasi victa silet.

Cap. 29. v. 829. Cod. M mals. **v. 836.** Cod. agere. **v. 838.** cf. v. 91. **v. 841.** Cod. tullit. **v. 844.** Cod. ignis pro agris.

Imperator in quinta expedicione sua destruit civitatem Segusiam et obsidet civitatem Alexandriam, que postea Cesarea est apellata. cap. xxx.

Rex precibus tractus, Ligurum feritate coactus,
Asperior factus ad prelia dirigit actus,
Carpit iter, solitas dat Murienna vias. f.CV'.1.
Montis Cinisi via tunc satis optima risit,
Rex nichil amisit, sed prisca pericla revisit,
Saxa movent populi tunc super arce siti.
Tunc cum Segusis cesar pro crimine lusit, 1174.
Civibus exclusis, domibus rebusque caducis, Sept. 28.
Ictibus argutis os perit atque cutis.
Sola domus comitis stans integra cetera planxit,
Rex pius hoc sanxit, domus incombusta remansit,
Cuius tutor ego, qui mea metra lego.
Pluribus armatis castrisque per arva paratis
Tunc regum genitrix venit regina Beatrix,
Lesa prius gratis, nunc sibi leta satis.
Gaudia regine sunt, quas videt ipsa, ruine,
Hic decet in fine genti dare dona canine,
Ammodo Segusie perdere nostra sinent.

Astensis civitas recipitur in graciam cap. xxxi.

Civis ut Astensis sibi circiter agmina sensit,
Optinet inpensis, ne cesaris irruat ensis,
Ordine iuratur, gracia plena datur.

Cap. 31. v. 872. Cod. necessariis.

Urbs Alexandria, que est Cesarea, obsessa tenetur. cap. xxxii.

Urbs Alexandria, quam Burmia parva recludit,
Vidit et obstupuit, male dum respublica ludit,
Que Segusa fuit, tota perusta ruit.
Optat et ipsa bonum precibus placare patronum:
Tolle tuum populum, cesar, propriumque colonum,
En tibi subicimus corpora, iura, solum!
Hec ubi dicta placent, dum curia tota faveret,
Marchio Willelmus satagit maledicta movere,
Corde, manu, precibus parta venena ferens.
Montis Farati comites ad crimina nati,
Corde venenati, longeva fraude notati,
Cesaris agnati, tradere regna rati.
Hic anuit: Si planta manet, moriemur inulti,
Denique sunt multi vallo vel flumine stulti,
Destruitur plane, si valitura manet.
Debilis est quinque vel sex capienda diebus,
Dives erit miles, habitis his illico rebus,
Et metuent populi deteriora sibi.
Fraus erit inpatulum, comitis dolus inde patebit,
Cum populus fortis urbem sine fine tenebit,
Tunc rubor imperio perpetualis erit.
Fraudibus ille comes animos subvertit exiles,
Et reputat miles populos certamine viles,
Ac nimis exiles, dum super arma silent.
Arva premit populi miranda potentia regis, 1174,
Castraque contiguis populis obsessor adegit, Oct. 29.
Plurima circuitu menia rupta cadunt.

Cap. 32. v. 883. Montferrat. Unde ortum sit odium auctoris in marchiones Montisferrati monui in praefatione. **v. 896.** Cod. milles.

Algor et imber adest, pluvie vehementer habundant,
Omnia castra natant, quia flumine campus inundat,
Valla damus domibus, fit locus ipse palus.
Stramina deficiunt, lignis omnino caremus,
Prorsus equi pereunt, neque quo pascantur habemus,
Perdita circuitu sunt quoque rura, nemus,
Terra caret cerere, nulle sunt cesaris edes,
Miles habet tristes per rura, plaustra sedes,
Pro dolor! omnis eques pergit ubique pedes.
Quomodo nunc proceres poterunt ad bella parari,
Quos maledicta palus sub gurgite precipitavit,
Calceus aut ocra crura retrorsa trahit!

— — — — — — — — — — — —

Sola Papia forum navi refferente petivit, f. CV'.2.
Arma dabat paucis pauper emendo cibos.
Pulcra Boemorum iam multitudo recedit,
Et reliqui, quos dira fames pro tempore ledit,
Miles ut abcedit, pabula nemo dedit.
Heu labor, immo dolor, nec sic dolor, immo dolores!
Non sensit Mutina tantos peritura labores.
Heu, quantos dominos tradidit ille comes!

Quales machinas et qualia edifficia habuit imperator. cap. xxxiii.

Primus et ante suos cesar sua castra locavit,
Excelsas turres hostiliter arte paravit,
Hoc genus artificis Ianua magna dedit.

---

v. 907. Cod. carere mille pro cerere nulle. **v. 908.** plaustrum idem videtur, quod plastrum. Cf. Ducangii gloss. ad h. v. **v. 912.** Negligentia librarii in fine columnae versum unum omissum esse demonstrat tristichon imperfectum. **v. 915.** Cod. emendo cibus. **v. 918.** Cod. absedit.
Cap. 33. v. 923. Cod. arce paratur.

Fert lapis inde sonum mangonibus usque colonum,
Mango refert ictum, lapides hinc inde reponunt,
Fossa tenens medium servat in urbe bonum.
Procedit testudo cavans pellente Papia,
Porte, castra ruunt, qua clamabant fia, fiat!
Sepe putat patulas miles habere vias.
Mango ferit rursus, iterum dat funda recursus,
Sustinet incursus populis quasi forcior ursus,
Et reparat nocte, que cecidere die.
Ignibus emissis populus plerumque tuetur,
Ne pereant turres, unda mediante conetur,
Vultibus oppositis pugnat utrumque secus.

Universi Lombardi in unum congregantur, ut civitatem Alexandriam ab obsidione imperatoris absolvant. Quibus dum imperator in campo occurrit, ad mandatum eius se humiliaverunt. cap. xxxiiii.

Congregat interea sibi Lombardia labores,
Quotquot habent equites veniunt peditesque minores,
Quotquot sunt Ligures insimul arma movent.
Urbs Alexandrina cum iam capienda putatur,
Eius in auxilium Ligurum fortuna paratur,
Extensas acies signaque multa ferens.
Sederat hic septem rex sub certamine menses,
Adversus gentes Ligurum nunc dirigit enses,
Infima postponens vincere summa volens.
Surgit ab obsessis populis iam vulnere fessis, 1175.
Ut leo processit, gaudens quia bella capescit, Aug. 11.

v. 928. Cod. pelente. v. 932. populus?
Cap. 34. In inscr. Cod. in civitate Alexandriam. v. 939. Cod. moventes. v. 944. Cod. dirigat.

Oppositas acies obvia signa tenens.
Affuit imperii coniuncta Papia labori,
Cuius et in campis acies ausu meliori
Eligit imperio vivere, sive mori.
Vidit et obstupuit Lombardica turba leonem,
Cesaris expertum recolit [turbata furorem],
At neque signa movent castra [que tuta fovent].
Circumvallatur, pacem quasi victa [precatur],
Pax cito prestatur, cito vita reis reparatur, 1175.
Decipitur dominus, gracia plena datur. Apr. 15.
Quicquid agunt Ligures, studeas a fraude cavere,
Vulpe salitur ovis densis dum vepribus heret,
Hac Ligures genitos fabula stirpe refert.
Nudatos gladios nuda cervice ferebant,
Omnia vexilla Lombardica prona iacebant,
Ut stantes aquile subdita signa premant.
Nemo prius functus tanto datur ense triumpho,
Qua neque defunctus eques est, neque vulnere punctus,
Tunc erat hoc populo Grecia tota minor.
Regia mandata iurat gens pacificata,
Iam putat optata cesar sibi tempora nata,
Si pax iurata stet sine fraude rata. f.CVI.1.
Vix octava dies fraudem paritura recedit,
Cum periura manus a tramite lapsa recedit,
Unde dolus Ligurum pessima dampna dedit.

Imperator revertitur Papiam facta pace cum Lombardis. cap. xxxv.

Nunc sancti Syri cesar loca sancta requirit, 1175.
Gaudia sortiri, requie quacunque potiri, Apr.

---

v. 954. Cod. S at. v. 960. Cod. referre. v. 971. resedit?
Cap. 35. v. 973. Loca sancti Syri i. e. Papiam, cuius primus episcopus erat s. Syrus.

Occurunt pueri, femina, signa, viri,
Portat ei dona tunc conciliata Cremona,
Astans mente bona satagit salvare coronam,
Cetera turba quidem non tenuere fidem.

De bello inter paucos Teutonicos presente imperatore et omnes Lombardos apud Cumas. cap. xxxvi.

Dimissis ducibus sociisque minorificatus
Mandat, ut a patria miles veniat renovatus.
Venit et a Cumis transitus ille fuit.
Incipiunt Ligures venientia signa vereri,
Conveniunt omnes armis sua rura tueri,
Occultas acies callida turba gerit.
Alpibus abiectis exercitus exiit ultra,
Ignorant equites, ubi parta pericula surgant,
Et quia nescierant, miles inermis erat.
Vix ibi quingentos equites ad bella retentos
Noveris inventos, reliquos de signo clientes,
Sed tamen hec equitum sarcina multa fuit.
Milia bis sena Lombardus miles habebat,
Et peditum numerosa manus vexilla ferebat,
De quibus innumeros cesaris ira necat.
Prosilit ante suos cesar, dum cuncta notavit, 1176.
Hostibus infestus cuneos binos penetravit, Mai. 29.
Tercius ateritur, quartum virtute fugavit,
Quintus erat validus, terribilisque magis.
Rex iubet abcedi, miles iam fessus obedit,
Nox obscura redit, gens mea terga dedit.

Cap. 36. v. 980. Cod. venia. **v. 981.** Cod. acumis. **v. 996.** Conturbatus est ordo versuum, quum v. 997 hexametrum exigat; sed vocabula: „cuneos binos-tercius-quartum-quintus" probant, non librarii, sed auctoris errorem adesse.

Hos ubi pugna premit, nostros fuga facta redemit,
Cum mane plebis popnlum Lombardus ademit,
Clade sui populi languida Cuma gemit.

De pace facta inter papam Alexandrum et Fredericum imperatorem apud Veneciam tempore scismatis. cap. xxxvii.

Iam quasi ter senis transactis scismatis annis,
Exulat ecclesia regalibus obruta bannis
Et maris et terre multa pericla ferens.
Innumeris precibus monacrator ubique monetur,
[Ut pacem faciat] matrique recuncilietur,
Det requiem populis, quam pereundo petunt.
Petiit et querit, quisnam locus aptus haberi
Possit, ubi cleri credatur ab hoste tueri,
Nec male terreri, cum sibi tempus erit.
Sors favet Illyricis, Venetis prestamus honorem,
Qua solito more fidei constancia floret,
Here, domo, cerere nulla coequa foret.
Presul Alexander ratibus devectus ab urbe
Pergit, et innumere venlunt per litora turbe,
Qua Ligurum tute tunc sonuere tube.
Legatos Siculus Grecusque per equora mittunt,
Qui referant scriptum, quod erat sub cesare dictum,
Consocii pacis, quam sibi papa facit.
Convocat huc laicos cesar, vocat undique cleros,
Quos numero vero nequeo, neque promere quero,
Tedia namque gero, tum breviator ero.

Cap. 37. v. 1005. Cod. pericula. **v. 1014**. Here pro aere. **v. 1016**. Cod. in munere. **v. 1020**. Cod. Cum socii; cum sociis? **v. 1021**. Cod. Non vocat pro convocat. **v. 1023**. Cod. tu pro tum.

Urbe Ravenatum digno monocrator yatu f.CVI.2.
Iussit, ut equoreum capiat ratis alta meatum,
Hinc iter arripiunt prosperitate datum.
Occurrunt proceres populusque per equora dives,
Cesar ubi civit, habitu conspexit eriles,
Organa dant iuvenes, musaque nulla silet.
Aurea vexilla procul obtulit aurea villa,
Ornate quasi mille rates gradiuntur ab illa,
Gaudia multiplicant, aurea signa micant.
Undique cum cithara resonat campana sonora,
Maxima trumba sonans reboavit in ulteriora,
Dum mare, terra tonat rex venit absque mora.
Quis non mirari poterat visuque vagari?
Ordo puellaris precurit eum venerari,
Iuncta venus veneri litore, rure, mari.
Quantus erat clerus, baculus, crux, mitra, galerus,
Pontificum numerus, describere nescit Homerus!
Opprimitur populis cesar et omnis erus.
Ad sanctum Marcum conducit papa monarcum, 1177.
Aureus est arcus, iam papa perisset in arto, Iuul. 25.
Cesar ubi vetulum ni relevasset eum.
Sunt satis amplexi domini, quos turba repressit,
Oscula dant fessi, gavisus uterque recessit,
Pax datur ecclesiis, gracia plena bonis.
Fama per Illyricum celebris dispersa vagatur,
Quam probus et sapiens, quam pulcer erat monacrator,
Divus adoratur, laus, favor usque datur.
Qui vidit astantes equites aulaque vagantes,
Pro nihilo reputat reges, quos viderat ante,
Quelibet hic equitis regia forma fuit.

---

v. 1025. Cod. capia. v. 1028. eriles pro heriles, domicelli. v. 1038. Cod. veteri pro veneri. v. 1041. erus pro herus. v. 1050. Cod. adorator.

Presul Alexander, cui Lombardia favebat,
Impetrat his treguas populis, quos werra premebat,
Et monet, ut Siculus pacificanda petat.
Cesaris audacis Grecus timet acta minacis,
Papa dari gratis petit illi federa pacis,
Restitit optatis rex, dolet ille satis.
Wicmannus presul pacis nunc auctor habetur,
Cuius apud Venetos honor et laus magna tenetur,
Hic habet eternum pace manente decus!

Imperator facta pace in Venecia circuit Tusciam cum paucis. cap. xxxviii.

Pax ut apud Venetos gratissima tempora fudit,
Romuleis laribus cicius se papa recludit,
Nulla super Ligures bellica pena furit
Castra per Italiam cesar sua viscere querit,
Nec volet in populis tamquam gravis hospes haberi,
Imperat armigeris agmina pauca geri.
Circuit Italiam cesar paucis comitatus,
Quem Tuscana fides dimisit honorificatum,
Prospicit archatus, circuit omne latus.
Ianua cum Pisa sunt tunc a cesare visa,
Utraque gavisa servire per omnia nisa,
Hec dominum ditat, hec quoque fecit ita.
Pisa suum dominum tanto suscepit honore, 1178.
Quantum nemo potest metrico narrare canore, Ian.
Invida de more Ianua magna dolet.
Ianua maiorem domino nisi prestet honorem,
Extimat atque dolet se viribus inferiorem,

v. 1060. Wicmannus archiepiscopus Magdeburgensis.
Cap. 38. v. 1066. viscere pro visere. v. 1072. Cod. visa pro nisa. v. 1074. Cod. dicat.

Unde minor domini gracia danda foret.
Nec mare nec stagna tetigit tunc gens Alemanna,
Sed per Serzana subiit montana Lovangna,
Expensas regi villa Sigestra vehit. f.CVI'.1.
Undique presbiteris populisque per arva paratis
Laudibus intonnit wilicom! bene vos veniatis!
Porrigitur gratis victima multa satis.
Organa, trumba sonant, laudatur ubique corona,
Ianua nostra bona sic sic facit usque Saanam,
Munera tunc donat, scrinia plena sonant.

Imperator egressus ex Ytalia ingreditur Provinciam et coronatur apud Arelatum. cap. xxxviiii.

Ianua discedit, maris undique litus obedit,
Subdita Niza redit, cesar super arce resedit,
Grassa, Forum Iulii debita iura dedit.
Que vexilla reget recipit Provincia regem,
Sub cuius lege longevo tempore deget,
Hoc quicunque negat, cronica nostra legat.
Suscipit inventum dominum pars multa potentum,
Organa cum centum refferunt sub laude retentum,
Quot dat musa tonos, protulit arte sonos.
Errogat addictum domino gens optima victum,
Affluit ascriptum, magis effluit inde relictum,
Nam velut unda fluit, potus et esca fuit.

---

v. 1082. Sarzana in terra Lunisiana; Lavagna et mox Sestri in territorio Ianuensi in riparia occidentali. v. 1088. Savona in riparia orientali.

Cap. 39. In inscr. Cod. in Ytaliam. v. 1092. Hodie Grasse et Frejus. v. 1098. Cod. arce.

Urbs Arelatensis Rodanusque peroptimus amnis
Iam quasi centenis dominum non viderat annis,
Nunc gavisa magis cantica longa trahit.
Nunc videt optatum regem gaudens Arelatum,
Rite coronatum, regali sede locatum, 1178.
Fertque sibi gratum munus ab inde datum. Iul. 30.

De deposicione Henrici ducis Saxonie per imperatorem Fredericum. cap. xl.

Saxonici qui gesta ducis dignoscere queris,
Cesaris ad laudem refferas, si digna fateris,
Si variare velis, lector iniquus eris.
Sic neque cum vicio, neque turpibus acta reponas,
Nam licet absque mora sic vicerit alma corona,
Assero personam stirpe venire bona.
Dux etenim proceres dum nobilitate foveret,
Dum foret imperio solita virtute coherens,
Gemma fuit patrie, regia facta gerens.
Gracia dum cedit domini, fortuna recedit,
Quem cesar cedit, sol, pontus et aera ledit,
Talia nam dominis gracia summa dedit.
Volvitur humana tanquam rota sepe voluntas,
Gracia si fuerit post a duce plena resumpta,
Fit, qui digna luit, carus ut ante fuit.
Hinc precor, o lector, cui cesaris acta repono,
Si magnum cecidisse ducem sub cesare promo,
Ne reputes vicio, quippe cavere volo.

---

v. 1102. Cod. annis pro amnis.
Cap. 40. v. 1111. Cod. vici pro vicio.

De nobilitate et moribus Guelfonum. cap. xli.

Germina Welfonum iuga despiciunt dominorum,
Munere Grecorum feritas crassatur eorum,
Turbet ut imperii tempora, iura, solum.
Regibus invisa nimis est, ad prelia nisa,
Menteque divisa temptasse refertur iniqua,
Nunc satis attrita, victaque languet ita.
Ex hac stirpe ducem scimus cecidisse potentem,
Bawariam cum Saxonia quandoque tenentem,
Sic racio voluit, sic sua culpa fuit.
Principio werre, quo dux [erat] incola terre,
Non poterant principes ducis ampla gravamina ferre,
Nec poterant cives pacis habere dies.
Dux homo pontificum feudi racione teneri
Noluit, aut dominos tunc iure suo revereri, f.CVI'.2.
Sed minus in cleri parte nociva gerit.
Urbis Agrippine, cui copia multa marine,
Sepe fuere mine ducis, amplos tollere fines,
Iura suis dominis nulla quieta tulit.
Fuderat ex ere magnum dux ipse leonem,
Cuius et acta movens exercuit ipse furorem,
Talia Welfones rite fovere solent.
Dicitur Henricus, dum cesaris esset amicus,
Federis oblitus Greco sociatus iniquo,
Ledat ut imperium Romuleosque situs.
Grecus amicus ei scelus hoc scelerosus adegit,
Spreta lege dei plenusque dolo farisei,
Cesaris ense mei pena paratur ei. 1180.
Hec ubi prospexit cesar non crimina texit,
Ulcio surrexit, subitanea bella capescit,

Cap. 41. v. 1132. Cod. summus pro scimus. **v. 1140.** Forse legendum est magis pro minus.

Tollit ubique torum rex ducis arva, forum.
Dux bone, quid restat, quid adhuc tibi gracia prestat?
Tardus ad hec festa rex Gallus et Anglicus extat,
Non erit hic Sicculi res valitura tibi!
Anglicus et Siculus, gens Gallica, munera Greci,
Nil magis auxilii refferent, quam lumina cecis.
Spes tua iam cecidit, traditus ima petis!

Res miranda satis, dux tante nobilitatis
Obrutus in fatis sic perdidit omnia gratis,
Quod neque bella capit, nec nocuisse sapit.
Viribus imperii velut hic potuit resecari,
Extimo sorte parí reges alios superari,
Ense coartari, flumine, rure, mari.
Iudicio veri si querimus apta fateri,
Dux Henricus heri poterat premaior haberi
Milicia, populis, flumıne, rure, feris.

De laude regionis Saxonie. cap. xlii.

Optima Saxonia clero populoque decora,
Hospitibus donat, gentes vehementer honorat,
Qua deus irrorat celitus ampla bona.
Orrea, triticea gens Saxona plena meretur,
Carnibus ac pisce plenissima semper habetur,
Et variis griseis splendet, habundat equis.
Saxonico fundo clipeo gens pulcra rotundo,
Doctior in gladio, toto fortissima mundo,
Maior in ecclesiis, dives, honesta nimis.

v. 1155. Cod. araia pro arva; araia forse scriptum pro aragia, sed non convenit metro. v. 1157. Cod. Cardus et aglicus. v. 1163. Cod. infans pro in fatis.

Cap. 42. In inscr. Cod. regis pro regionis. Docenus emendat gentis. v. 1179. Cod. honesto.

De principibus Saxonie et gloria eorum. cap.xliii.

Credo bis denos vel plures esse potentes,
Lumina Saxonie quasi regum more tenentes,
Et quasi regales semper habere lares.
Quos ibi ter denis devicit Karolus annis,
Hos, Federice, potes cicius supponere bannis,
Pace tenere truces et renovare duces.
In duo divisit, que dux solet alter habere, 1180.
Bernardumque ducem partem iubet inde tenere, Apr. 13.
Intima Saxonie cesaris arma tenent.
Altera pontifici pars magna reffertur Agrippo,
Corpore glorifico, placido sermone Philipo,
Cui neque laudis ego culmen adire queo.

De laude archiepiscopi et ecclesie Coloniensis. cap.xliiii.

Presul Agrippinus dux est et presul et archos,
Rebus in imperii fit proximus ipse monarcho,
Est et apostolico culmine magnus homo.
Hic ducis obsedit patriam victorque resedit,
Victor ab inde redit, cui gloria plurima cedit, f.CVII.1.
Ponpa ducis perit, subditus arma dedit.
Marte coartavit, que dux retinere putavit,
Igne, fame, gladiis per circuitum peragravit,
Terra ducis periit, duxque repulsus abit.

Cap. 43. v. 1184. Cod. potens.
Cap. 44. v. 1199. Cod. flame.

De laude Guicmanni archiepiscopi Magdeburgensis. cap. xlv.

Saxonie florem, cleri populique decorem
Qui recitare volet, Wicmanno prestet honorem,
Gaudia multa movet, regna decore fovet.
Presul Wicmannus melior, quam fertilis annus,
Munere laudandus, virtute sua venerandus,
Hunc efferre volo laude, canore novo.
Corpore formosus Wicmannus ad omnia letus,
Cui sedet omne decus, quem laudat in ordine cetus,
Stat sibi multa secus laus nova lausque vetus.
Dum foret Henricus dux presulis huius amicus,
Non erat atritus guerra neque marte petitus,
Ad ducis imperium plebs erat atque situs.
Ast ubi Greca fides hominem variavit inanem,
Desipuit plane, voluit testudo volare,
Deffuerant ale, precipitata cadet.
Denique proscriptus dux solus ubique relictus,
Acrius astrictus gladium dedit ordine victus, 1181. Nov.
Deditus, ut decuit, munera Greca luit.
Saxonie causa modico sub carmine clausa,
Arte mea plausa satis est, mea fistula pausa,
Finis adest libri, gracia Christe tibi!

Cap. 45. In inscr. Cod. gui magni. **v. 1206.** Cod. effere. **v. 1209.** Cod. stabat. **v. 1212.** Cod. imperii. **v. 1214.** Cod. descripuit. **v. 1220.** Cod. plausa pro pausa.